Teol. 1775 - 1776. 1

Andreae Josephi

Sylvae

CIMELIA
Qu 5112-5113

V
B J
C

5112-5113
CIMELIA

VI.b.252.

рисунок II. VIII. 34. b.

ANDREÆ FRICII MODREVII SECRETARII REGII SYLVAE QVATVOR.

I. De tribus personis & vna essentia Dei; Ad Sigismundum Augustum Regem Poloniæ, &c.

II. De necessitate conuentus habendi ad sedandas religionis controuersias, Ad eundem Regem.

III. De Iesu Christo filio Dei, & hominis, eodemque deo & domino nostro, Ad Pium Papam V.

IV. De Homousio, & de iis, quæ huc pertineant, Ad Iac. Vchanium Archiep. Gnesnensem.

Ex ipsius auctoris autographo expressæ.

Adiecta est Quæstio theologica non dissimilis argumenti, ab eodem auctore examinata.

Domus Professæ Cruc: S.P.C. ad S. Barbaram.

Omnia nunc primùm in lucem edita.

BIBLIOTH: UNIV: JAGELLONICAE

Anno cIↃ IↃ xc. mense Iulio.

Cim. Qu 5112-3.

LECTORI PIO ET DIVINAE VERI-
tatis ſtudioſo. S. P.

IN tibi,lector,tandem a multis (niſi fallimur) expectatæ iamdiu ac deſideratæ Fricii viri optimi atque doctiſsimi Syluæ. Quæ cur,ipſo auctore viuente, idque ſedulò, vt ex ipſius verbis apparet,non ſemel curante ac mãdante, numquam tamen formis excuſæ, & in publicum editæ fuerint, haud planè nouimus. Niſi, quòd ſatis conſtat (idque ipſe Fricius in præfatione quartæ ſyluę ad lectorem attingit)non defuiſſe, qui tunc temporis huius præclari operis editionem, data opera impedirent. Poſt mortem porrò auctoris, hoc opus hactenus editum non fuiſſe, nihil profectò mirum. Vbi enim nullum lucrum,aut proprium commodum, ibi ſegnes ac negligentes ferè omnes ſumus. Sed Deus,qui diutius ſerui ſui (ſic enim de Fricio affirmare licet) vtiliſsimos labores deliteſcere noluit, mirabili ratione effecit, vt ipſius Fricii autographum, quod aliquando typographo, quò ipſum euulgaret, concreditum ab eo fuerat, non modò integrum atque incorruptum conſeruatum fuerit, verùm etiam ad eius viri manus non ita pridem peruenerit, qui illud quàm fideliſsimè typis exprimendũ curauit. Nam præter interpunctiones, & primas quarundam vocum litteras, minore ne, an maiore forma, pro loci, & ſignificationis diuerſitate, ſcribendas, nec non accentus aliquos,quibus tribus in rebus nec admodum diligens,& parum ſibi conſtans auctor fuerat: nihil prorſus aliter

hîc haberi voluit, atque in ipso autographo haberetur; indicatis tantùm in marginibus seu foliorum extremitatibus, aut ad finem operis inter errata relatis iis ferè omnib. quæ, ex ipsius scriptoris mente, correctionis indigere omnino viderentur. Quod tamen minimè factum est in verbis siue ex sacris litteris, siue aliunde ab eo citatis ac descriptis. Quidquid enim hac in parte ab ipso erratum est, aut leue est prorsus, aut eiusmodi, vt vnicuique id per se vel animaduertere, vel deprehendere sit in promptu. Nec sanè erat alienorum verborum lectio mutanda, quantumuis falsa, quam auctor sua scriptione repræsentare voluisset; qui fortasse, si aliter legendum censuisset, aut recordatus esset, aliter etiam eorum verborum testimonio vsus fuisset. Iam quòd & auctorem ipsum, & eius hoc opus accuratiùs commendaremus, multæ quidem ac maximæ forent causæ; nisi persuasum nobis esset, Fricii quidem nomen, atq; eruditionem iam satis omnibus notam esse, & ab hominibus litteratis magni fieri: vtilitatem verò, ac præstantiam harum eius vigiliarum, licèt, vt ipse ad earum calcem testatum reliquit, imperfectarum, statim legentibus apparituram. Illud tamen non reticebimus, hunc scriptorem, illum esse, quem Hieronymus Zanchius, in suis libris de tribus Elohim, &c. Mediatorem nominat; cuius nempe ipse primam syluam manu scriptam viderat; ex qua non pauca verba & argumenta recitat, quæ refellere conatur. Nam, scriptorem hunc nihilominus ab ipso haud parui fieri, cum ex aliis locis,

dum

dum ipsum refellit, tum verò ex epistola dedicatoria ad Edmundum Grindallum, non obscurè apparet. vbi & illum vnum inter plurimos alios acutè scripsisse, & se eius libellum (propterea, scilicet, quòd acutè scriptus esset,)totum refutasse profitetur. Quòd si contigisset, Fricium, antequam moreretur, in Zanchii refutationem istam incidere, aut, si tamen incidit, satis ad respondendum otii habere, non dubitamus, quin & ipse responsurus, & nos multò maiorem fructum ex hac disputatione percepturi fuissemus. Sed quãdo aliter Deo est visum, hæc, quæ in ardua & præstantissima hac de diuinitate ipsa tractatione ab hoc viro non minùs pietate, quàm eruditione, insigni, scribi, & in vsum nostrũ publicari, idem Deus voluit, læto, ac grato animo accipiamus; iisque accuratè legendis, & examinandis, vnà cum ipso scriptore, tantæ rei veritatem, ea, qua decet, modestia ac reuerentia, diligenter inquiramus, atq; inuestigemus. Vale.

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS, SECRETARIVS REGIVS OMNIBVS PIIS HOMINIBVS ET AD regnum Dei eruditis quarumcunque Christi ecclesiarum, S. D.

ADeste huc omnes, qui Rempublicam Christianam, qui salutem communem conseruatam vultis. Magna res agitur. Honestorum et pietatis amantium & prudentium virorum opus est cura, labore, diligentia, studio. Nisi maturè consulitur, noxa cubat proforibus. Congessimus syluam rerum, & sententiarum: ut, si quid inde construi possit, id præstent artifices. Sin minùs, conatum nostrum, si meretur, boni faciant: aut refellant, si refelli dignus est. Nolo, vt quisquam se mihi addicat. nam neque ipse mihi satisfacio: nec cuiquam addictus sum. Quin obtestor omnes veritatis studiosos, vt ab illa stent, vbicunque illam esse viderint: ei autem contrariam falsitatem insectentur. Qua quidem re nihil utilius fuerit Reipub. nihil Ecclesiæ salubrius. Nemo sic cogitet, Fricium in media barbaria natum et educatum non potuisse aliquid melius prodere, quàm prodiderunt scriptores veteris memoriæ, omni genere monimentorum cõsecrati. Quin potiùs sic quisque sibi persuadeat, me nihil dixisse de meo: sed quæ ab alijs accepi in vnum comportasse: diligentia aliqua mea & certè iudicio nonnullo, quod scilicet à tenuitate inge-

te ingenij & veluti paupertate eruditionis nostræ fieri potuit, adhibito. Multa tamen, quæ ad rem pertinerent nec mihi visa sunt, nec ad manum erant. Quæ autem visa sunt, fortasse non satis presse omnia euoluta. pleraque quasi in transcursu lecta scriptaq;. Et certe in diuersis cogitationibus atque actionibus varijs, publicis priuatisq;, animum & operas nostras confundi ac perturbari necesse fuerat. Itaque in hoc opere multa esse, quæ expolitionis & expletionis indigeant, ipse video. Quæ tamen à nobis iam fessis, à curis & negotijs nunquam vacuis, socijs studiorum, in hac solitudine à literatis, prorsus destitutis, præstari non possunt. Rudia igitur damus, inchoata, properatim confecta, ac propterea Syluarum nomine inscripta. Vestrum autem est, quicunque Christum mundi seruatorem esse agnoscitis, quosq; Deus spiritus sui muneribus copiose ornauit, approbare scriptis vestris, quæ recta sunt: quæ minus confutare. Quod cum vos sperem facturos candide & humaniter, vti decet bonos & doctos uiros: tum, vt faciatis primo quoque tempore, tanto studio peto, quanto intelligitis quenque cœlestis veritatis sitientem, certam de diuino numine & exploratam sententiam, in qua tandem conquiescat, habere velle. Sin intermittitis quod postulamus, quid aliud nobis, qui has incolimus terras, expectandum, quàm, vt ecclesiæ nostræ dissensionibus laceratæ multis & varijs, distrahantur indies magis: detrimentaq; quotidie sentiant plura & grauiora: ad vos tandem redundatura, qui, cùm ea auertere

uertere poßetis, occaßione * prætermißißetis rei bene geren-
dæ. Ego verò, ßeu viuus adhuc, ßeu fato defunctus, ßpero
me Deo miſericordi, ſi minùs opus noſtrum, certè ſtudium
& animum de re chriſtiana bene merendi cupidum, proba-
turum eße. Valete 1565 menſe Decembri. Volborio.

* Pro prætermiſeritis

ANDREÆ FRICII MODREVII IN PRIMVM LIBRVM SYLVARVM SVARVM, QVI EST DE TRIBVS PERSONIS & vna essentia Dei, ad Sigismundum Augustum Regem Poloniæ, magnum Ducem Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazouiæque Dominum & hæredem,

PRAEFATIO.

CVM tibi nuper in Moscum expeditionem apparanti valedicerem, Rex, ita tum me dimisisti, vt moneres, vti in concordiam eos, qui de Trinitate diuina apud nos dissentire cœperunt, reducere studerem. Expertus nimirum, tātum in dissensione mali inesse, quantum in concordia boni existat; non dubitasti, quemadmodum imperatores in summis Reipub. periculis etiam à gregariis militibus solent, ita tu in hoc de vno eodemque præpotenti Deo concertatione, plusquam dici possit pernicioſa, à me homine haud sanè magna cum mentis atque ingenii re, opem & operam meam exigere. Quamuis autem ex conscientia imbecillitatis virium mearum iure poteram excusare tātę rei difficultatem: tamen solicitum animum tuum cùm viderem: nec spatii quicquam haberem ad consulendum ac deliberandum, quid tibi responsurus essem; operam meam subitò pollicitus sum: cum hac quidem exceptione, quantum valeam quantumque possim. Cùm autem in tantam rem incumberem: ac, quæ ab vtraque parte conscripta essent, cœpissem legere: sensi cogitationes exo-

riri animo meo : partim de magistrorum religionis vecordia: si quidem nouatores causam habent iustam in hoc ipsum axioma religionis nostrę inquirēdi : partim de nouatorum proteruitate; si, quæ à maioribus rectè dicta & constituta fuere, ea ipsi proterere & conculcare audent. Vtrique, aut certè alterutri, accusandi esse videntur. Quòd si magistrorum religionis vecordia arguenda, quid tandem ab his deinceps expectandum certi & solidi, hoc principe axiomate conuulso? an non digni essent, qui, à statione, in qua collocati sunt, remoti, in terras vltimas relegarentur? Sin nouatorum proteruitas, an non omni genere suppliciorum afficiendi viderentur, ac ex finibus naturę humanę exterminādi? Loquor enim iam, quasi de Trinitate hac sentiendum quid sit, nunquam quicquam antea nouerim : quemadmodum quidem puto affectum esse debere eum, qui de cōtrariis sententiis iustam ferre sententiam debeat. Audiui ego Andream Duditium Sbardellatum, qui Cæsaris Maximiliani nomine apud te oratorem agebat, cùm de variis Reipublicæ ac religionis Christianæ capitibus, tum de hoc ipso, qui in tuo regno exagitari cœpit, differētem. Et audiui perquam diligenter. Est enim vir ingenii artibus clarus, in dicendo elegans, in existimando admodum prudens. Is negabat, eum, qui alterutri, seu de Trinitate, seu de quauis re alia, sententiæ adhæresçat, medium se inter partes ipsas inferre, controuersiamq; dirimere atque sedare posse. Neutri partium addictum esse oportere, qui vel

qui vel partes ipsas in concordiam reducere vellet æqualitate decernendi: vel secundum partem alteram decernere, quod iustum & legibus consonum esse iudicaret. Qui ad eum modum neuter non esset, eum partes iudicem capere non solere: & ab alio datum eiurare consuesse: nimirum quem ex opinione imbibita pendentem verisimile esset, vel tacita reprehensione, contrarium sentientes condemnasse. nam, vt pius esset & eruditus, qui & differeret & iudicaret, fieri tamen posse, vt, opinione præiudicata nixus, falsum iudicaret. Quamobrem iure laudatur Regis Macedonum Alexandri mos præclarus, qui iudicãdo alteram aurem agenti, alteram reo accommodare solebat. Laudantur & Areopagitæ iudices Atheniẽsium perquam celebres. Qui non interdiu, sed noctu causas cognoscebant. Quid ita? Videbant, sæpe homines vel amore alicuius, vel odio, vel alia affectione, duci ad iudicandum magis, quàm veritate. In tenebris igitur iudicabant, ne aliquo affectu vel personarum, vel rerum, excitati, à recto iustitiæ tramite deflecterent. Sed quorsum hæc? Nonne hæc præclarè dicta factaque docent nos, vt iudicandis cùm controuersiis omnibus tum hac quoque, quam diximus, vnam demus aurem Romanis & Augustanis, altetam Pinzouiis? His enim vocabulis libet in præsentia vti discernendi partium causa; propterea quòd & Romana ecclesia & Augusta na cõfessio Deum profitentur trinum personis, vnum essentia. Contrarium affirmãtes etsi diuersa incolunt

loca: tamen ex Pinzouiensi disciplina prodierunt, & in illa ecclesia maximè habent receptum. Demus igitur & nos vnam aurem istis, alteram illis. Cognoscamus causam noctu, vt non dicentes, sed ea, quæ dicuntur, spectemus. Iudicemus in tenebris, ne aspectus vel illorum, vel istorum, excitet in nobis affectionem aliquam, quæ nos seducat, & à recto iudicio deflectere cogat. Concludamus hunc locum hoc modo, æquum iudicem ab vtriusque partis sententia solutum & liberum esse debere. Qui enim alterutri partiũ fauet, quíue certæ cuidam destinatæque sententiæ addictus & consecratus est, hic iudex non est duarum, sed vel author suæ, vel sectator alterius præeuntis.

Ac mihi quidem in causam, quam dixi, vehementiùs incumbenti non sine ratione summa dixisse videtur, qui dixit, veritatem, tanquam in profundo puteo, mersam latere. Id enim cum permulta alia, ne dicam infinita, tum hoc religionis nostræ pronunciatum summum ostendit. Creditum est summo omnium consensu in ecclesiis Christianis ab hinc supra mille annos, Deum illum rerum omnium conditorem essentia vnum esse, trinum autem personis. Id nos à maioribus nostris per manus traditum accepimus. Id ferè cum lacte nutricis suximus. Id à magistris religionis tum voce tum scriptis declaratum didicimus. Hac doctrina templa personabant omnia. Hac, cùm ritus sacramentorum veteris nouique fœderis nitebantur: tum redemptio nostri, peccatorum condonatio, æternæ vitæ

næ vitæ promiſsio fulciebantur. Hanc doctrinam cùm multis ſeculis, ſummis ingeniis, maximis ſtudiis explicatam haberemus, ecquis vnquam creditus eſt fore, qui quaſi ſoli clariſsimo tenebras offundere auderet? Et multa quidem religionis pronunciata, quæ & ipſa bene conſtituta credebantur, tentata ſunt noſtra memoria à viris doctrina & pietate præſtantibus; nonnulla etiam funditus euerſa. Hoc, quod principem in religione ſemper tenuit locum, ab illis iiſdem viris tentatum eſt nunquam. Imò adeò omnibus credi & obſeruari præceptum, vt, ſi quis de eo vel minimè dubitaret, hic in Repu. Chriſtiana locum haberet nullum: ac vniuerſæ toto orbe terrarum eccleſiæ expers eſset. Ecce autem annis abhinc circiter triginta ſurrexerunt quidam, quorum princeps Seruetus eſse dicebatur, qui ſententiam optimè conſtitutam cœperunt perturbare. Erant libri eorum in manibus nonnullorum. Legebantur omnino in angulis. Cùm enim libri illi intenti eſsent tanquam arcus in caput ipſum religionis, occultabantur, nec in lucem prodire ſinebantur. Sed & author eorum Seruetus, cùm hæreſi ſpargendæ & diſseminandę occaſionem nullam prætermiſiſset, igne extinctus eſt: hæreſi tamen minimè extincta. Quæ ſe in noſtram Poloniam hiſce annis effudit incredibiliter. Fertur à nonnullis, Pinzouios minimè agnoſcere ea, quæ à Serueto tradita ſunt de Trinitate. Quod quidem habeat ſe quomodocunque. Illud certè conſtat, Pinzouios ſententiæ hactenus in Eccleſia receptæ au

dacter obstitisse: Tiguriniscj; & Geneuensibus interceſsoribus tantùm abfuisse vt paruerint, vt acerrimè eis repugnarint.

Quoniam autem te monitore, Rex, hic à nobis labor susceptus est, dabis, vt opinor, mihi hanc veniam, accommodatam causæ, quam tracto, omnibusque, qui rerum sint intelligentes, non molestam, vt, quemadmodum priùs dixi, rem ita tractem, quasi antea incertum mihi ac planè incompertum quicquam esset de Trinitate diuina.

Incertum mihi ac planè incompertum, *pro eo quod est*, haud certũ mihi ac planè compertum

Nituntur Romani & Augustani scripturis sanctis: sed multum tribuunt patribus, vetustati, conciliis, Ecclesiæ decretis. Pinzouii etsi hæc quidem non abiiciunt: tamen & delectum eorum habendum putant: et sanctis scripturis primas tribuunt: ex quibus vel solis dogma suum demonstrare contendunt. Etsi autem nihil mihi optatius esset, quàm scripta veterum omnia euoluere: conciliorum canones cognoscere: eaq; tandem cum scripturis sanctis conferre: tamen res hæc non est facultatis nostræ. Deficior & libris necessariis, & ingenio. Etiam curæ domesticæ, & negotia ciuilia à literis abripiunt me: nec assiduitatem ac vehementiam, quæ necessaria esset, retinere patiuntur. Huc accedit, quòd, cùm partes, etsi vna plus nitatur authoritate veterum scriptorum, quàm altera: tamen vtraque firmissima fundamenta suarum defensionum ex sacris bibliis sumant: operæ pretium me facturum esse existimo, si & ipse iisdem bibliis in primis inhæream: adhi-

ām: adhibitis interdum & veterum testimoniis. Quod tamen modicè faciam, aut etiam intra modum.

Quemadmodum igitur principio dixi, seponendæ mihi sunt in præsentia opiniones præiudicatæ. Testimonia probatorum authorum non negligenda quidem, sed parcè vsurpanda. Diuina oracula, vel sola, vel in primis, præ oculis habenda. Momenta tum authoritatum tum rationum, quæ in vtramque partem proferuntur, ponderanda: &, si opus erit, ad aurcam Dialecticæ regulam reuocanda: non quòd Dialecticæ aut philosophiæ id tribuam, vt ex ea axiomata religionis nostræ haurienda putem: sed cùm ea donum Dei sit ad confirmandum, quæ dicuntur, & ad refellendum ea, quæ repugnent necessariū: adhibenda est tanquam instrumentum & ratio quædam ac via veritatis inquirendæ. Tua verò, Rex, voluntas hæc præclara vniuersos à disceptationibus in vnius sententiæ de Deo prætenti societatem adducendi, cui non maximè probetur? Imitari studes cùm imperatores multos diuinos, qui certaminibus in Ecclesia exorientibus occurrere solebant, vel synodi indictione, vel remediis aliis opportunis: tum Constantinum illum magnum, quid primus Imperatorum Romanorum religionem Christianam amplexus ac professus fuerit. Cùm enim eo imperante Arius dogma spargeret nouum, quo ecclesia Dei scinderetur: nec remedium vllum tanto malo inueniretur: statuit Constantinus vniuersæ communitatis Christianæ conuentum habendum esse: in quem

ex omnibus

ex omnibus Christianis ecclesiis conuenirent doctissimi quique ac optimi viri. Quod in Bithyniæ vrbe Nicæa factum fuisse constat. In qua & Græcorum,& Latinorum concursus erat maximus, ac Arii dogma damnatum. Etsi autem mores nostrorum temporum minimè ferunt, vt à Regibus eiusmodi conuentus indicantur: tamen & hoc, quod tu fieri iussisti, vt controuersia exposita,& argumentis in vtramque partem explicatis, ad quosq; viros doctrina & pietate præditos de re omni referretur, instar mihi conuentus vniuersorum habere videtur. Nam & isti futuri sunt iudices, & cognitores tantæ causæ locupletes: & cùm diuersa incolant loca, verisimile est, non ex colloquiis mutuis, non ex personarum respectu; sed solius veritatis studio & pacis publicę amore sententias dicturos esse. Profectò aut ab istis ratio inuenietur finis imponendi contentionum, aut à nemine alio. Laudandum est igitur hoc consilium tuum & omnium prędicatione celebrandũ, quod tu cœpisti ad pacandam Dei ecclesiam, & ad reuocandos omnes, qui à recta via aberrassent, in domum domini Dei nostri. Ad te quidem hoc in primis pertinere quis non videt? nam in tuo regno tuisque ditionibus, hoc paucorum annorum interuallo, iste quasi morbus natus est. Tui igitur muneris est remedia quærere ad morbum sanandum, & à cunctis tuis populis depellendum congrua: O fœlicem diem illum, cùm consilii huius tui fructum percipiet Respub. Christiana: cùm omnes, qui te gaudemus vno

Rege,

Rege, gaudebimus & vna religione, vnoq; cultu Dei patris & filii & spiritus sancti: cùm tibi à cuncta aula cœlesti de facinore præclaro mirificus datus erit plausus. Quod cùm erit factum, tum nec me laboris pœnitebit: nec te, vt existimo, huius ministri pudebit, per quem hæc fieri procurasti: faciliusq; feram odia quorundam, quæ in me ob ista hæc studia conceperunt. Vale. Anno Christi 1565. mense Decembri. Volborio.

ANDREAE FRICII MODREVII PRÆFATIO IN SYLVAM SVAM, QVÆ EST DE TRINITATE DIVINA.

INgredienti mihi in syluam amplissimam (vtinam perinde iucundam & rerum bonarum non vacuam) certaminum & dissensionum de Triade diuina, non id agendum est, quod alterutri partium gratum esse videatur, ne, si amplectatur alterius tantùm placita, altera me reijciat. Neque verò non explicanda sunt omnia, quæ hanc ipsam materiam reddant implicatam & perquam difficilem. quod quidem maximè vellent ij, qui huiusmodi certaminibus aliquid de sua existimatione detractum esse existiment. Sed omnia, quæ in hanc vel in illam partem disseri possint, proferenda sunt in medium: vt, qui tantis de rebus dicturi sunt, habeant in cõspectu partis vtriusque

c rationes,

rationes, & authoritates: quibus dispectis, penderent omnia & examinent: vt sententiam tandem ferant oraculis diuinis congruentem. Neque verò dubito esse permultos, qui censorum sibi partes desumere priùs vellent, quàm id, quod agimus, in publicum prodiret. Verumenim, cùm singuli alterutri partium addicti sint, quisque sententiæ, quam priùs adamasset, non cessasset, vt puto, pugnaciter defendere, altera vel neglecta vel contemptim habita. Hoc autem modo haud scio, an supprimerentur scripta nostra. Quod quidem vtinam bono Reipub. Christianæ fieret. vtinam, inquam, sententia vera regnaret, falsa opprimeretur. Sed & hoc ipsum an non potiùs orbis approbatione fieret, quàm vrbis? Putabam igitur præstare, vt omnibus imprudentibus hoc scriptum prodiret in lucem: vt omnium oculis simul subiectum censuras omnium simul subiret. Sic fore credebam, vt alius alium respectando moderatiùs ageret: & si quid addendum, detrahendum, mutandumue sibi videretur, temperaret suis affectibus: argumentorum pondera libraret: quod deuium cerneret, id abijceret: quod rectum, id tandem concluderet. Sed nos longiore præfatione omissa, rem ipsam aggrediamur. Ante omnia autem de vocabulis quibusdam, quæ hodie in disceptatione versantur disseram, vt sunt Persona, Trinitas, Essentia, Vnum. Deinde de reipsa disputabo.

Domus Professa Cong. SS. Nom. Iesu Barberinæ.

TRACTATVS PRIMVS DE TRIBVS PERSONIS ET VNA ESSENTIA DEI.

CAPVT I. EXPLICATIONEM VOCABVLORUM continet.

PErsonæ vocabulum totidem syllabis in bibliis non reperitur: sed pro eo, vt quidem in rebus diuinis vsurpatur, est hypostasis. Nam in epistola ad Hebr. cap. 1. filius Dei dicitur esse splendor gloriæ & character hypostasis Dei. Est igitur Dei hypostasis seu subsistentia. Cum autem persona, hoc in sermone, eodem sensu capiatur, nihil est necesse de vocabulo rixari: cùm de re ipsa constet.

Trinitas deriuatur à tribus; neque verò, id significat (vt quidam affirmant) quod trium vnitas: sed vt ab vno vnitas, à duobus dualitas, à quatuor quaternitas: ita à tribus trinitas deducitur. Tres sunt, inquit " 1 Ioan. 5.
Ioannes, qui testantur in cœlo, Pater, sermo, & spiri- "
tus sanctus, & hi tres vnum sunt. Si hi tres sunt, certè "
eorum trinitas est. Et si vnum sunt, est quoque eorum vnitas.

Dicamus de Essentia. Quæ ab esse deducitur, vtrumque autem à verbo Sum. De nullo enim dici potest, quòd sit, quin eidem & esse tribuatur suum, & essentia sua. Vtrumque enim vnum significare videtur; nec alterum ab altero differre, nisi, exẽpli causa, quem

admodum currere differt à cursu: quorum vtrumque à curro deducitur. nihil est, quod currat, quin idem & currere dicatur, & cursum habeat. Et viceuersa nihil cursum habet, quod non & currere dicatur, & currat. Hæc ex Grammatica arte petuntur. & adeò vera sunt, vt, si quis contrarium affirmet, sensu communi carere videatur. Ex quo quidem fonte Dialectici argumentum coniugatorum mutuati sunt. Quod inflexione quadam vocum, hoc est vel casuum, vel concretorum & abstractorum (vt ipsi loquuntur) conficitur. verbi gratia, si Petrus est, Petrus habet esse, & Petrus habet essentiam. Et contrà, qui essentiam habet, & esse habet, & est. Pergamus ampliùs. Cùm Esse varium sit, aliud creaturæ, aliud creatoris, essentia quoque erit tum creaturæ, tum creatoris. Quod autem illustrius testimonium potest esse essentiæ Dei, quàm Dei ipsius, qui sic de se loquitur: Ego sum, qui sum. Sum, vel, qui est, misit me ad vos. Ego sum primus & nouissimus. Nemo tamen putet, ESSE, ESSENTIAMque poni extra res, quarum sunt: sed potiùs esse in ipsis. Et, vt in rebus creatis nemo, qui dicit Petrum, Ioannem, Andream esse essentiâ homines, ponit hominem, vel essentiam hominis extra illos tres, sed potùis includit in illis: ita & in diuinis existimandum est. Quid enim est essentia Dei, quàm natura ipsius, hoc est deitas, vel diuinitas? Quæ quidem voces duæ ita se habent, vt illa naturam, hæc qualitatem significare videatur, eisque, vt, qui Græcè norunt, tradiderunt, duas Græca respondere: illi quidem

Exodi 3. *Esai. 41. 44. & 48.*

dem

dem τῷ θεότητα, huic autem τῷ θειότητα: earumq; primitiua illa duo esse, ὁ θεός, et τὸ θεῖον. Vtcunque autem hæc se habent, nihil opinor errauerimus, si, eos sequuti, qui has voces cõfundunt, & nos sine discrimine vnam pro altera, vtramque autem, vt se obtulerit, pro natura seu essentia Dei vsurpauerimus. Sicut igitur essentia hominis est humana natura seu humanitas: ita Dei essentia est natura diuina seu diuinitas. Et quemadmodum, cui humanitas tribuitur, eidem & essentia seu natura humana: ita, cui diuinitas, eidem & essentia seu natura diuina tribuenda est. Non est hîc repetenda disputatio philosophorum de vniuersalibus naturis, an in suis singularibus sint, an extra ea. Nam & ideæ Platonicæ (si quas tamen ille à singularibus alienas fingebat) olim confutatæ sunt: & planè ostensum, vniuersalia ratione quidem concipi posse sine singularibus: at esse aut subsistere extra illa, nequaquam. Vnde igitur in res diuinas irrepsit somnium de essentia extra Deum patrem, filium, spiritum sanctum? Omnino si comparanda sunt humana cum diuinis, vt essentia humana hæret in hominibus singularibus: ita diuina in patre, filio, spiritu sancto. Quod quidem eos, qui de hac essentia loquuntur, sensisse, scripta illorum demonstrant. Basilius scribens contra Sabellium, Arium, & alios, Licet, inquit, « numero duo sint, pater, & filius: natura tamen diuisi nõ « sunt. Vnus deus est. & pater vnus deus, & filius, non « dii duo. nam patri similis est filius. non enim aliam in « patre diuinitatem intueor, aliam in filio. neque aliam il « lius,

» lius,aliam huius naturam pono. Seorsum igitur nume-
» ra patrem,seorsum filium. Sed vnam in vtroque essen
» tiam confitere. Quando verò vnam essentiam dico, ne
» duas personas ex vna,tanquam in duas partes diuisa, co
» gitare velis: sed ex patris principio filium subsistētem:
» non patrem & filium ex vna essentia quasi præcedente
» descendentes. non enim fratres dicimus, sed patrem &
» filium confitemur. Basilius igitur non ponit essentiam
extra personas,à qua, tanquam præcedente, existerent:
sed ex patris essentia filium subsistere affirmat. Scripse-
runt Pinzouii lingua vernacula interpretationem ver-
» borum Pauli 1. Cor. 8. Vnus est Deus pater,ex quo om
» nia,&c. In quo quidem libro dicunt,deitatem nō per
se existere,neque in seipsa esse: sed eam esse in patre, fi-
lio,spiritu sancto. Quid autem vetat,quominus idem
dicatur de essentia diuina: cum quidem non aliud no-
mine essentiæ diuinæ intelligamus, quàm deitatem ip-
sam? Essentia,inquiunt illi,nec generat,nec generatur.
atqui ne deitas quidem generat, aut generatur. Acti-
ones certè suppositis tribuendæ sunt,non naturis, quæ
abstractis nominibus (hoc enim verbum in scholis est
tritum) designantur. Patiantur autem lectores,nos in
hoc sermone vsurpare verba ex scholis philosophorū
» sumpta: sine quibus res,de quibus loquimur, cōmodè
» explicari non possunt. Quemadmodum igitur non hu-
» manitas generat: sed homo generat hominem: ita nec
» deitas, nec essentia diuina generare dicitur: sed,si Lati-
» nè loquendum est, & ad intelligentiam aptè, verè dici-

tur Deus

tur Deus generare deum. Alioqui logos non posset dici filius Dei aut deus de Deo, nisi generaretur à Deo. Hæc de essentia.

Tandem sequitur, vt de voce Vnum dicamus. Negant Pinzouii in libro, quem diximus, quòd Deus pater, filius, spiritus sanctus sint vnus. Absurdum eis videtur, vt, qui Tres sunt, hi Vnus sint, vel dicantur. At iidem concedunt, quòd Tres sint Vnum. Quomodo verò absurdum est, vt Tres sint Vnus, minimè autem absurdum vt Tres sint Vnum? Omnino trinitas cum vnitate pugnat. Qui igitur Tres sunt, vt Vnus dici non possunt, ita nec Vnum: nisi fortè tropo quodam. Videant autem, qui hac vocum variatione distinctiones eiusmodi efficiunt, quali fundamẽto nitantur molitionum suarum. Quî enim ex Tribus effici potest seu Vnum seu Vnus? an non est necesse, Tres aliò referri, aliò Vnum? Pinzouii rem ita expediunt, illi Tres Vnum sunt natura, deitate, potestate, amore, concordia. Sed mittamus voculam Vnus: Retineamus, vt isti volunt, Vnum: dicamusq; de illis Trib⁹, quòd sint Vnum natura, deitate, & modis reliquis. An non inde consequens est, eorum naturam vnam esse, vnam deitatem, vnam potestatem? Omnino hæc ita cohærent inter se, vt, prioribus concessis, consequentia quoque concedi oporteat. Minimè audiendi sunt, qui de rebus ita differunt, vt, aliquo vno concesso, non putent, quid illud antecedat, quid consequatur, considerandum esse. Et cùm, verbi causa, concessissent, omnem hominem animal esse, minimè sibi

concedendum

concedendum existiment, hominem quoque substantiam esse, & Ioannem animal esse, nisi hæc rationibus aliis confirmentur. Non est hoc ratione & via disserere: sed scopas omnino, vt est in prouerbio, dissoluere. Christus ipse cum Saduceis immortalitatem animarũ negantibus disputando, confirmat Abrahamum viuere ex eo, quòd Abrahæ sit Deus: & Deus sit viuentium non mortuorum. Deinde Pharisæos ipsum tentantes ac Christum filium Dauidis affirmantes sic ex eorum responso redarguit. Quomodo ergo Dauid vocat eum dominum, dicens, Dixit dominus domino meo? Si vocat eum dominum, quomodo filius eius est? Quasi sic diceret, Minimè conuenit, vt pater filium suum vocet dominum. Dauid Christum vocat dominum. Non igitur Dauid pater est Christi. Nonne ad hunc modũ, sumptis & concessis iis, quæ pro certis habentur, perue nit ad id, quod dubium est, vel quod propositum est? Quid igitur vetat, quominus & nos ex iis, quæ concessa sunt, colligamus alia, quæ illis congruant & sint consentanea? Si pater, filius, spiritus sanctus sunt vnum natura, deitate, potestate, an non consequens est, illos habere vnam naturam, deitatem, potestatem? Quod si vna est eorum natura & deitas, an non rectè cõsequitur, eos vnum deum esse? Vt enim ab humanitate homo est & dicitur, & ab vna humanitate vnus homo: ita à deitate deus, & ab vna deitate vnus deus. Si igitur vna est deitas patris, filii, spiritus sancti: vnus est deus pater, filius, spiritus sanctus. Quod autem Pinzouii contendunt,

Matth. 22. Mar. 12.

dunt, vocem Vnum retinendam esse, non dissentaneum vero est, si quidem hæc sine vllius vocis substantiuę additione vsurpetur. Cæterùm additione substantiui adiectiuum vsurpandum est, vt consentiat cum eo, genere, ad hunc modum. Petrus, & Paulus sunt vnum ens: sunt vna res: sunt vnus homo. Quemadmodum scriptura loquitur de viro, & de vxore, eos esse vnam carnem. Si sine substantiuo loqueretur, diceret Vnum; sicut dixit neutro genere, Non sunt duo. Verùm quia addidit substantiuum, ideo & adiectiuum, non Latina tantùm sed omnium ferè linguarum phrasi, vsurpauit, eodem genere, Vna caro. Pinzouii colligunt loca ex scripturis, in quibus plures dicuntur vnum esse, non vnus. Ioan. 17. sic orat Christus patrem pro suis, Vt, inquit, omnes vnum sint. Gal. 3. Omnes, inquit, vos vnum estis in domino. 1. Cor. 3. Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt. Ephes. 3. Christus est pax nostra, qui facit vtraq; vnum. Sunt certè ista loca, vt citātur à Pinzouiis. Estq; sententia eorum cognoscenda. Dicuntur enim isti vnum vel ob vnam religionis professionem, vel spiritum vnum, per quem habent accessum ad patrem. Sic enim loquitur eodem in loco apostolus. Galat. 2. Per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem: vel ob charitatem Christianam, quæ facit, vt credentium cor fiat vnum; Act. 4. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. Et sunt hæc ita omnia, vt dicuntur. Quid autem, an non eodem modo isti omnes dicerentur vnus? Profectò, quod ad Gal. 3. Lati

Matth. 19.

d ni legunt,

ni legunt, Omnes vos vnum estis: hoc Græci dicuntur legere genere masculino ἕν ἐστε. Quo in loco Erasmus
» putat nihil referre, legat quis Vnus, vel Vnum. Non vi-
» deo, inquit, cur abhorreamus ab hoc tropo, quo multi
» dicuntur vnus, cum nec vnum dicatur absque tropo,
» nec vnanimes. Sic ille. Iam si addatur substantiuum, an non adiectiuum vsurpandum est eodem genere?
» Nam Ephes. 2. cùm dixisset, pax nostra, qui fecit vtraq;
» vnum; Mox subdidit, vt, inquit, Duos condat in se-
» metipso in vnum nouum hominem. Nonne, qui ad hunc modum conditi sunt in vnum nouum hominem, dicuntur vnus nouus homo? Videmus igitur, additione substantiui adiectiuum vsurpari. Et sicut Matth.
» 19. dicitur, Erunt duo in carnem vnam, vt iam non
» sint duo, sed vna caro: ita hîc dici potest verisimè, Duos cõdidit in vnum nouum hominem, vt iam non sint duo, sed vnus nouus homo. Minimè igitur absurdum est, vt, qui dicuntur Vnum genere neutro, illi dicantur Vnus homo genere masculino, vel Vna caro genere fœminino. Itaque Thomas Aquinas 1. q. 31. a. 2. ad 3. loquens de patre, & filio dicit, quòd sint vnum, sed non vnus. Verùm additione substantiui dicit. 1. q. 39. a. 3. c. de patre, filio, spiritu sancto, quòd non sint tres dii, sed vnus Deus. Augustinus quoque in li-
» bro de fide & symbolo cap. 9. non vnus est, inquit, pa-
» ter, & filius, sed vnum sunt. Ibidem addendo substan-
» tiuum dicit, dicimus deũ patrem, deum filium, deum
» spiritum sanctum: nec tamen tres deos, sed vnum De-
um.

um. Basili⁹ item aduersus Arium & alios disputans de « patre,& filio,inquit, Vnus itaque Deus,quoniam vtri- « usque vnum genus ostenditur, quod in vtroque inte- « grum ac vnum ostenditur. Supra etiam attulimus lo- « ca ex scripturis,quibus excluſiua, quam locis illis Pinzouii assuerunt,quasi nefas sit dicere Vnus,vbi dictum sit Vnum, repulsa est. Et certè ex vna vocula tanta molitio surgere non potuit. Spectandus erat sensus, quo aliqui plures dicantur vnum. Repetenda Grammaticorum regula illa: adiectiua neutro genere substantiuari; hoc est in aliquod substantiuum resolui. Verbi gratia, Petrus & Paul⁹ sunt vnum, hoc est,vna res,vel vnum ens. Quòd si quæratur,quæ illa res sit, vel quod ens, creatum, aut increatum: deinde, quod creatum, substantia,an accidens: Tandem,quę substantia,corporea, an incorporea: & sic descendendo ad hominem: inuentum fuisset,quod ens est illud,cui hæc vnitas tribuitur. Huiusmodi autem indagatione repertum fuisset, quod genere neutro profertur, id alio proferri posse substantiui alicuius appositione.

CAPVT II.
De tribus personis Dei.

DIximus,ni fallor,satis de vocibus,quę in hac doctrina de Trinitate vsurpantur. De qua iam disseramus. Inprimis autem de Dei natura dicendum esset. Verùm hæc humanis verbis explicari non potest,& quicquid de ea homini fas est scire, à veteribus theologis expositum est. nec ea res desiderat operam nostram. nisi for

tè aliquid pingui (vt aiunt) Minerua dicendum est. Ipsemet Deus legans Mosen ad Israëlitas, non alio nomine se appellari iubet, quàm, QVI EST. Ego sum, inquit, qui sum. Sic igitur dices Israëlitis, Qui est, misit me ad vos. Indicat hæc vox, Deum verissimè esse: vt potè qui æternus sit & immutabilis. à quo res omnes conditę habent, vt sint. De nominibus aliis & attributis Dei nihil attinet in præsentia scribere. De patefactione eius pauca dicamus. Primùm se patefecit rebus creandis. In principio, inquit Moses, creauit Deus cœlum, & terram. Ex quorum contemplatione peruenire vnumquemq; intelligentem ad Dei notitiam, Paulus affirmat his verbis, Inuisibilia Dei, cuiusmodi est eius æterna vis & diuinitas, ex mundi creatione, dum considerantur per ea, quæ facta sunt, perspiciuntur: vt sint inexcusabiles, qui, Deo cognito, non ei dignam gloriam gratiamq; tribuũt. Sed magis se patefecit per Prophetas, qui ab eo mittebantur, vt prȩcones essent maiestatis illius: Euidentiùs etiam per filium suum ex virgine natum: tum quidem cum verbũ caro factum esset. Tunc enim verbum, quod apud Deum in principio erat, natura humana assumpta, mundo apparuit; quemadmodum Ioannes loquitur. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriã eius. Videntur autem & Moses, & Ioannes initio scriptorum suorum de eodem principio loqui rerum omnium. Sed Moses dicit, in illo principio cœlum & terram à Deo creata esse: Ioannes autem, in eodem illo principio verbum fuisse.

Exodi 3.

Gen. 1.

Rom. 1.

Ioan. 1.

fuisse. non igitur verbum inter res creatas numerandum. Illæ habuerunt principium, in quo creatæ sunt: hoc erat in principio. Itaq; ipsum verbum vocat se principium. nam rogatus à Iudæis, quis esset, respondit, Principium, quod & loquor vobis. Sed & vocem illam EGO SVM, quam supra diximus Deo propriam esse, sibi accommodare non dubitat his verbis. Nisi credideritis, quòd ego sum, moriemini in peccatis vestris. Et paulò post, Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quòd ego sum. Et infra. Amen dico vobis antequam Abraham fieret ego sum. non dicit Ego fui; sed vtitur voce, quę propria est Deo, Ego sum. Sic discipulos aduersa maris tempestate perterrefactos alloquitur. Confidite. Ego sum. ne terreamini. Vtitur igitur filius Dei nomine patris sui, indicans, se quoque deum esse, quemadmodum pater suus, deus est. Et sicut pater semper est, quòd est temporis nescius: ita filius non nouit tempus, sed semper est ante omnia secula. Hanc autem vocem Iudæi, veluti blasphemam, quòd homo nomen dei sibi attribueret, indignè ferebant. Itaq; sublatis lapidibus, obruere cum volebant. Erat autem hæc vox, EGO SVM, eius maiestatis, vt, cùm Iudæi venissent ad filium Dei comprehendendum, adeò territi sunt audita illa, vt retrorsum abierint, & concident in terram. Hæc de filio Dei, eiusque æternitate breuiter. Porrò de deitate vltra ea, quæ dicta sunt, illa extant testimonia, Ioan. 1. Et verbum erat deus. Rom. 9. Qui est deus benedictus. 1. Io. 5. Hic est deus & vita

Ioan. 8.

Ioan. 8.

Matth. 14.

» æterna. Col. 2. Nam in eo (Christo) inhabitat omnis
» plenitudo deitatis corporaliter. Dicit, plenitudinem deitatis in eo habitare, vt non temporariam, sed perpetuam coniunctionem deitatis cum humanitate significet. Et addit, Corporaliter, vt declaret substantialem & hypostaticam vnionem duarum naturarum in Chri
» sto. 1. Tim. 3. Et sine controuersia magnum est pietatis
» tis mysterium. Deus apparuit in carne, in spiritu iusti-
» ficatus (Castalio legit, per spiritum declaratus) conspe
» ctus angelis, prædicatus gentibus, fidem obtinuit in
» mundo, receptus in gloriam. His verbis Paulus omnia redemptionis nostræ mysteria planissimè explicauit. Baruchus quoque, qui Esaiæ, & Ieremiæ senten-
Baruch. 3. » tias collegisse dicitur, sic reliquit scriptum· Hic est de-
» us noster, & non æstimabitur alius ad illum. De filio autem hoc intelligendum esse, verbis sequentibus de-
» claratur· Post hæc in terris visus est, & cum hominib.
» conuersatus est. Sunt, qui Christum à consortio deitatis excluſum velint, propterea quòd ipsemet Christus
Ioan. 17. » sic dicat alloquendo patrem· Hæc est vita æterna, vt
» cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Ie-
» sum Christum. Si solus pater, inquiunt, est Deus: filius certè Deus non est. Verùm & pater, & spiritus sanctus eadem ratione à diuinitate excluderentur, quòd Baruchus dicat, præter filium, alium nullum putandum esse deum. Sunt enim hæc omnino similia· Solus hic est deus:&, Non est putandus alius deus præter hunc. Vtrisque verbis si vrgeantur, aliquis, qui deus est, à diuinitate

tate excludetur: illis quidem filius: istis autem pater. Sed non rectè. Potiùs igitur sentiendum est, verbis vtrisq; tum Baruchi, tum Euangelii, Deos gentium, qui certè dii non sunt, excludi à diuinitate. Quemadmodum illis verbis: Ego sum primus, & ego sum nouissimus: & absque me non est deus, omnes gentium Dii à consortio reiiciuntur. In quorum numerum Christum referendum non esse, ipsemet testis est. ad eam enim gloriam, quam patri tribuit, ipse se adiungit. Cùm enim solum deum patrem dicat esse, in cuius cognitione sita sit vita æterna: seque in societatem eius gloriæ admisceat: an excludendus esset à diuinitate, qui glorię eiusdem cõsors sit? Thomas etiam Didymus, cùm Christum vidisset rediuiuum, exclamauit: Dominus meus & Deus meus. Neque verò Christus hanc illius cõfessionem reprehendit: reprehensurus haud dubiè, si falsò fuisset dictus Deus: præsertim audientibus cæteris discipulis. Quis est igitur, qui nos arguat, cùm Thomam, & alios viros sanctos clarissima voce præeuntes sequamur: fateamurque, hunc filium Dei esse verum Deum; qui ad redimendum genus humanum in hunc mundum venit?

« Esai. 44.

« Ioan. 20.

Diximus de patefactione Dei, primùm quidem creatione rerum facta, postea per Prophetas, deinde per filium suum. Postremò autem Deus clarissimo fulgore irradians, præbuit se cognoscendum per spiritum sanctũ suum. Quem cœlitus missum partim in linguis igneis, partim in specie columbę mundo apparere voluit. Est autem

autem clarum de eo testimonium Mosis, cùm principio creationis rerum narrat, spiritum dei se super aquas agitasse. Quę verba etsi aliqui intelligant de vento: doctiores tamen intelligunt de spiritu diuino, qui virtute sua fouebat aquam, vt stabilis permaneret ad tempus. Operatus est igitur spiritus Dei principio rerum creatarum. Diuinitatem eius Petrus asserit, cùm dicit, Deo
Act. 5. mentiri eum, qui spiritui sancto mentiatur. Paulus au-
1. Cor. 3. „ tem, cùm ait: Templum Dei estis vos, Deique spiritus
„ in vobis habitat. at templum habere solius Dei est. Sed
Luc. 12. & Christus ipse, cùm dicit: Quicquid dixerit quispiam in filium hominis, ei remissum iri: Qui verò in spiritum sanctum blasphemauerit, id nec in præsenti nec in futuro seculo remissum iri. Christus, inquam, his verbis præferre videtur sibi spiritum sanctum. In quem enim grauiùs peccatur, is maior esse putatur. Quòd si filius Dei est deus, omnino & spiritum sanctum deum esse fatendum est. Hic spiritus vocatur consolator, & spiritus veritatis, & spiritus adoptionis filiorum Dei. Distinctum esse à patre, & filio, patefactiones ostendunt. quarum vna erat in Christi baptismo, altera in eius transfiguratione, tertia in die Pentecostes, quarta in ædibus Cornelii, & si quæ sunt aliæ. Et quidem pater eum suo testimonio & à se, & à filio discernit: quemad-
Ioan. 1. „ modum Ioannes Baptista refert. Vidi, inquit, spiritum
„ descendentem, veluti columbam de cœlo, & super eum
„ (Christum) manentem: ac equidem non noueram eum: sed qui misit me, vt baptizarem aqua, is mihi sic dixit. Super

xit. Super quem videris spiritum & descendentem & manentem, is est, qui baptizat spiritu sancto. Ego vero & vidi, & hunc esse filium Dei testatus sum. Hæc est narratio Ioannis Baptistæ verborum dei patris discernentis & à se, & à filio spiritum. Sed & Christus ipse, distinctum esse à patre ostendit, cùm dicit, eum à patre procedere: à se autem, cùm vocat eum alium. Verba Christi hæc sunt. Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testificabitur de me. Et alio in loco. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, & apud vos manebit in æternum. Si igitur spiritus sanctus apparet alia specie, quàm pater, & filius, distinctus est ab illis. Deinde, quia apparet corporea specie, quasi columba (vt loca citata ostendunt, & disertè narrat Lucas de baptismo Christi loquens cap. 3.) non est igitur accidens, nec sola agitatio in animis creata: alioqui extra mentes non appareret, quarum esset agitatio: sed est substantia, sicut pater, & filius. Paulus etiam discernit eum ab ipsius donis, tanquam causam ab effectis. Omnia, inquit, hæc efficit vnus idemque spiritus: dispertiens priuatim cuique, vt vult. Cum autem idem Paulus inquit, Ipse spiritus dat testimonium spiritui vestro, distinguit manentem & consolantem spiritum sanctum à consolatione, qua spiritus noster erigitur, & viuificatur. Quid autem fuerit spiritus, antequam filius Dei incarnaretur, Petrus testatur de Prophetis loquens, cùm dicit, spiritum Christi in eis prædixisse, Christum

Ioan. 15.

Ioan. 14.

1. Cor. 12.

Rom. 8.

1. Petr. 1.

paſsurum eſse. Non tantùm autem à patre, ſed à filio quoq; ſpiritum procedere, Latina eccleſia docet: Græca autem à patre per filium. Cõfirmant hoc inde, quòd
Rom. 8. ſpiritus nunc Chriſti, nunc Dei à Paulo vocatur. Ipſe
Ioan. 15. „ etiam Chriſtus dicit, ſe eum miſsurum à patre. Et, qui
Ioan. 16. „ de meo accipiet. Matth. 10. Non vos eſtis, qui loqui-
„ mini: ſed ſpiritus patris veſtri in vobis loquitur. Gal.
„ 4. Quoniam eſtis filii Dei, miſit Deus ſpiritum filii in
„ corda veſtra clamãtem Abba Pater. Ad hęc, cùm Chriſtus poſt reſurrectionẽ inſufflando dicit ad apoſtolos:
Ioan. 20. Accipite ſpiritum ſanctum, quid aliud illa inſufflatione ſignificat, niſi ſpiritum ſanctum à ſe quoq; procedere? Etſi autem multi ſint filii Dei, & multi ſpiritus adminiſtratorii: tamen, vt vnus eſt propriè filius Dei à patre genitus ante ſecula: ita vnus eſt propriè ſpiritus ex deo proficiſcens modo arcano & ineffabili. Vnus eſt igitur ſpiritus, qui tum Dei, tum Chriſti ſpiritus eſse dicitur,
„ Rom. 8. Vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen
„ ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem ſpiritum
„ Chriſti non habet, hic non eſt eius. Quòd ſi hic ſpiritus, eos, in quib. habitat coniungit Chriſto, ipſum quoque Chriſto coniunctum eſse oportet. Patri autem an non eſt coniunctus, qui ab eo proficiſcitur ſeu procedit? Fruſtra rixantur, qui proceſsionem eius à ſolo patre demõſtrare nituntur ex eo, quia filius dicat, eum procedere à patre. Dicit hoc quidem filius ideo, quia ad patrem ſolet referre omnia: etiam hoc, quòd eſt: verùm proceſsionem hanc à filio quoque eſse, illis filii

ipſius

ipsius verbis indicatur. Quem ego mittam à patre. Dicit & alibi. Quem pater mittet in nomine meo. In nomine meo, inquit, sed nõ à me: sicut dixerat se eum missurum à patre. Quibus verbis ostendit se quoque à patre esse: totiusque diuinitatis patrem principium esse, vt ait Augustin. 4. de Trinitate cap. 20. Quid multa? Si idem spiritus dicitur esse & patris, & filii, quomodo non erit à patre, & filio? Certè hęc idem esse videntur, vt sentit Lomb. sen. 1. d. 11. § Sciendum tamen. De processione quoque seu emanatione idem dicendum est. Et quidem in diuinis nasci & emanare seu procedere vix distingui possunt, si vim spectes verborum. Certè, qui nascitur, emanat & procedit ab eo, à quo nascitur. Itaque filius de se dicit, se exiuisse à patre. quod quid aliud est, quàm se egressum seu profectum esse à patre? Verumtamen, quia distinctionis causa filius nasci, spiritus procedere dicitur, authoritate scripturæ standum est. Illud tamen tenendum, patrem fontem esse & radicem, vt Basilius loquitur, vel, vt Augustinus, principium filii, & spiritus sancti.

« Ioan. 15.
« Ioan. 14.

Ita singillatim ostensum est, quid de singulis personis sentiendum sit. Communiter autem tota Trinitas illis verbis indicatur, quæ refert Moses Deum dixisse. Faciamus hominem ad imaginem nostram. Quem his verbis appellat, si vna est persona in diuinis? Vix enim aliquis dicat, his verbis Deum alloqui angelos, aut quemuis alium: cum nemini cõpetat creare, nisi Deo. Cùm Adam in paradiso peccasset, sic eum alloquitur

« Gene. 1.

Gene. 3. » Deus. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus es, sciens
bonum & malum. Cur pluraliter loquitur, EX NOBIS,
si tantùm vna est persona? Itaque & Christus inquit.
Ioan. 14. » Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.
Loquitur enim pluraliter vt pluralitatem personarum
indicet, quæ venturæ essent. Et hæc quidem de plura-
litate. De numero autem & distinctione earum per-
sonarum frequens est in scripturis mentio. 2. Cor. 13.
» Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, &
» cõmunio spiritus sancti adsit vobis omnibus. 2. Cor. 1.
» Qui nos vobiscum confirmat in Christum & qui nos
» vnxit, Deus est: is, qui nos cõsignauit, & spiritus arrha-
» bonem nostris animis indidit. Gal. 4. Quoniã estis filii,
» misit Deus filii sui spiritum in vestros spiritus claman-
» tem Abba, Pater, Ephe. 3. Huius rei gratia flecto genua
» mea ad patrem domini nostri Iesu Christi vt virtute
» corroboremini per spiritũ eius in internum hominem,
» vt inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris. In
his & sexcẽtis aliis locis patri additur filius, & spiritus
sanctus. nec hi vnquam inter creaturas numerantur.
Dauid, & alii prophetæ, sæpe creaturas omnes enume-
rando, & eas ad laudes Deo cantandas excitando, nus-
quam meminerunt filii, aut spiritus sancti. Non sunt
igitur creaturæ. sed quod creatura non est, deus est.
Omnium autem clarissimè Christus personarũ distin-
Matth. 28. » ctionem docet his verbis. Exeũtes docete omnes gen-
» tes. Baptizantes eos in nomine patris, filii, & spiritus
» sancti.

Cap.

CAPVT III.

Fusior explicatio sententiæ de Trinitate diuina.

Mysterium hoc magnum est & menti humanæ imperscrutabile, Deum illum æternum, filium sibi ab æterno generasse, per quem omnia condiderit. Spiritum quoque sanctum ex se emisisse, per quem omnia firmauerit & sanctificauerit, & electos suos ad agnitionem veritatis perduxerit. Et in rebus quidem creatis patrem priùs existere filio videmus. vt Abrahamus priùs erat Isaaco, & Isaac Iacobo. Verùm talia cogitare de generatione diuina nefas est. In Christi schola docemur de æterna generatione filii à patre. Quemadmodum Deus ipse, Michea vate referente, dicit: Et tu Bethleem Ephrata, quę es paruula in Iudæa. Ex te enim mihi egredietur Israëlitarum dominator. Et egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Duplicis egressus filii Dei hîc fit mentio. Alterius secundum carnem ex Bethleem, quæ & Ephrata dicitur. Quæ est quidem præfecturarum Iudeę minima. Verumtamen Christi natiuitate nobilitata. Quò respexisse videtur Matthęus Euāgelista, cùm scriberet, Bethleem nequaquam minimā esse præfecturarum Iudeæ. Alter exitus filii Dei est secundum diuinam naturam à diebus æternitatis. Quo verbo significatur emanatio filii Dei à patre æterno ante omnia secula. Neq; verò æternitati filii Dei obest hæc emanatio à patre, vt aliqui argutātur, patrem antiquiorem esse filio statuentes: quòd ille gignat, iste sit genit⁹.

« Mich. 5.

« Matth. 2.

Quemadmodum enim radius à sole emanans posterior non est sole: sed ita simul sunt, vt euelli à se non possint: ita de filio Dei, & patre sentiendum est. Quamuis enim filius habet principium sui esse, nempe patrem, à quo est: tamen illud principium non est prius filio in essendo. Nec inter patrem, & filium est alia prioritas intelligēda, quàm (si licet hac comparatione vti) qualis est inter solem, & radium. Qui si æterni essent, vtriusque duratio æterna esset: etiam si sol esset origo (vt quidem nunc est) sui radii. Est enim pater principium originans filii: filius est originatus. His enim vocabulis vtuntur Scholastici magistri, Scotus, & Vielus sen. r. d. 5. q. 2. Supra autem attulimus testimonia diuinitatis & filii, & spiritus sancti. Plura ab aliis afferuntur. In quibus & nos acquiescere oportet: & curiosa scrutatione supersedere. Consilia hæc sunt dei altissimi occulta: quæ homini mortali nefas sit inuestigare. filius ipse, qui est in sinu patris, nobis enarrauit, à nemine visum esse Deum. Atque illius ipsius Dei vocem auditam esse in Christi baptismo, sic de cœlo intonantem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene placui. Visum tunc quoque esse spiritum Dei descendentem columbina specie & manentem in ipso Christo, historia Euangelica testatur. O quale hoc theatrum, quàm amplum & magnificum, in quo Dei filius voce cœlesti renunciatur: spiritus sancti descensu mundo demōstratur! Quod testimonium illustrius Triadis diuinæ: quod grauius esse potuit? Pater de cœlo loquitur, filius in Iordane baptizatur.

Mat. 3.

baptizatur. Spiritus sanctus in columbæ specie conspicitur. Hi tres vnum sunt iuxta Ioãnis apostoli verbum. vnum enim testantur. Vna conspiratione ac consensu eum, qui tingebatur, inaugurant mundo doctorem & magistrum, quem omnes essent audituri. Sic enim alio in theatro non minus apparato ac magnifico vox cœlestis insonuit. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ipsum audite. Iubetur audiri filius Dei. cui Deus dedit vitam, gloriam, potentiam, virtutem, sapientiam suam. Non quin hæc omnia retineat ipse solidè & perfectè: sed quòd per eum administrat omnia, & voluntatem suam manifestam fecit mundo. Quam ob causam & verbum Dei vocatur, quòd per eum loquut⁹ est & patefecit consilia sua Deus. Id quod Christus ipse fatetur his verbis. Omnia, quæ à patre meo audiui nota feci vobis. Et Verba, quę ego loquor, & opera, quę facio, non sunt mea, sed eius, qui misit me, patris. Quẽadmodum autem in Christi bapt ſmo tres fuere, quorum virtute baptismus perfectus est: ita noster baptismus in trium nomine fit, patris quidem, qui author est redemptionis nostræ: filii, per quem pater efficit redemptionem: spiritus sancti, qui est arrhabo redemptionis nostræ, consolans nos in afflictionibus nostris: adoptans nos in filios Dei: sanctificans nos in vitam æternam. Fit horum trium mentio in rebus aliis maximi momenti. vt, cùm angelus loquitur de incarnatione filii Dei. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. & quod nascetur ex te sanctum,

1. Ioan. 5.

« Matth. 17.

Ioan. 8. dicit Iesus ad Iudæos: *In lege vestra scriptum est, Duorum hominum testimonium esse verũ. De me & ego ipse testimoniũ dico, & dicit etiam is, qui me misit, pater.* In eptum esse videretur, vt aliquis testaretur de seipso. Verũ cùm Christus sit Deus & homo testatur vt Deus de se vt homine.

te sanctum, vocabitur filius Dei. Hoc ipsum docet nos symbolum, quod vocant apostolorum, vt credamus in vnum Deum patrem, & in Iesum Christum filium eius, & in spiritum sanctum, qui sit patris, & filii spiritus. A patre enim & filio seu, vt alii loquuntur, à patre per filium procedit, & ad electos mittitur.

CAPVT IIII.

De vnitate Dei, & quęstionum quarũdam explicatio.

Hucusque satis, vt opinor, demonstrauimus, tres esse personas in diuinis quarum vnitatem Christus his verbis indicat. Ego, & pater vnum sumus. Ego in patre & pater in me est. Ioannes autem, Tres sunt, inquit, qui testimoniũ dant in cælo; & hi tres vnum sunt. De qua vnitate post tempora Arii ingens nostra memoria, atque adeò hac tempestate à nostris quoque hominibus contentio excitata est. De qua consequens esse videtur vt iam dicamus. Sed tamen interrogationibus, quę hoc in argumento in vulgus afferuntur, in primis dissolutis. Cùm enim & patrem generantem, & filium genitum Deum esse fateamur, nec tamen plures esse Deos agnoscamus: quæri solet, an sint * vnum' re ipsa. Negatur ab omnibus, eos vnum esse. fieri non posse, vt idem generet seipsum. Neq; igitur patrem generantem cum filio genito vnum esse. Ampliùs quæritur, Si pater generans alius est re ipsa à filio generato, vterque autem Deus est, videntur igitur plures Dii esse. Negatur & hoc. Quamũis enim re ipsa distinguatur persona patris à persona

Ioan. 10. Ioan. 14. 1. Ioan. 5.

* Sic est diserte in ipso autographo, vnum, inquam, nõ vnus. Sed non dubitamus, quin manus, non autem mentis scriptoris sit lapsus.

à persona filii: tamen essentia idem sunt. Hinc sequitur, Deum personis quidem trinum esse: essentia autem vnum. Quæritur tandem, an pater generans filium dat ei esse Dei, sicut dat esse filii. Et quidem de esse filii negari non potest. Hoc enim est & in rebus creatis, vt filii esse suum à patre accipiant. Quinimmo inter relatiua reciprocum est hoc: vt, sicut filius accipit esse filii à patre: ita pater esse patris sumat à filio. De esse autem Dei Caluinᵘ negat his verbis. Filium, quatenus Deus « est, fatemur ex se ipso esse, sublato personæ respectu. « Quatenus verò filius, dicimus esse ex patre. Ita essentia « eius principio caret. personæ verò principium est ipse « Deus. Hæc ille in libro Institutionis Christianæ. Alibi sic. Deitatem absolutè ex se ipsa quidem esse dici- « In lib. contra mus. vnde & filium, quatenus Deus, sublato personæ « Gentilem. respectu, ex se ipso esse fatemur. Quatenus verò filius « est, dicimus esse ex patre. Ita essentia eius principio ca « ret: personæ autem principium est ipse Deus. Hæc ille « pag. 74. Verùm hęc mihi nescio qualis diuisio videtur esse filii Dei. Difficile esset constituere tuerique simplicitatem illam in diuinis, omni compositione carentem, si in logo aliud sit carens principio, aliud habens principium. Omnino hæc attributa eiusmodi sunt, vt aut vtrũque, aut certè alterum reale esse videatur. Hoc verò an non satis est ad distinctionem realem? Quæ vbi est, an ibi compositio abest? Ad hæc, si logos, quatenus Deus, ingenitus est & sine principio, quomodo dicetur vel Deus de Deo, vel filius Dei? Rectiùs igitur

videntur sentire Doctores, quos vocant Scholasticos, qui expensis patrum antiquorum scriptis dicunt, filium à patre per generationem accipere & filiationem, & essentiam. Nituntur autem maximè decretali Innocentii tertii, quę extat in Decretalibus Gregorii noni Tit. de summa Tri. & fide Cath. c. Damnamus. vbi sic scri-
» ptum est: Pater ab æterno filium generando, suam sub-
» stantiam ei dedit. iuxta illud: Pater quod mihi dedit
» maius omnibus est. Et paulò post: Patet ergo, quòd si-
» ne vlla diminutione filius nascendo substantiam patris
» accepit. Scotus his verbis nixus sic scripsit sent. 1. d. 5.
» q. 2. Pater æternus non decidendo aliquid sui, sed to-
» tam suam essentiam cõmunicando, & hoc vt formalem
» terminum illius productionis, verissimè filium produ-
» cit de se, eo modo, quo esse Dei pertinet ad patrem, &
» filium. Ne autem quis putet, essentiam Dei habere ali-
» quod principium, Gabriel Vielus sen. 1. d. 5. q. 3. sic ad-
» dit interpretationem: Licèt non quicquid est filii, reci
» pit esse simpliciter per productionem: nam essentia,
» quæ est filii, seu filii non recipit esse per productionem,
» quia est in patre: tamen eam filius recipit per sui produ
» ctionem. Hæc ille. Clara est sententia Vieli, Essentia quidem, cùm in patre sit, nõ recipit esse simpliciter per productionem filii: tamen per ipsam productionem filius eam accipit. Ideo Scotus alio in loco sic scripsit, sen. 4. d. 11. q. 1. Filius Dei, qui est terminus actiuæ generationis patris, per illam generationem accipit esse, & personam esse, & Deum esse. alioquin, si nullum esse

accipit

accipit per eam, non videtur esse intelligibile, quomodo sit ibi aliquid terminans generationem, quæ est actio, de genere actionis. Durandus quoque dicit sen. 1.d.4.q.1. Primam personam productam in diuinis accipere à persona producente esse, naturam, & modum naturæ. ac inde confirmat, filium generari à patre.

Non dubito, quin idem alii affirment. Quorum libros euoluere mihi non vacat, & certè libri eorum ad manum mihi non sunt. Hoc igitur à magistris theologiæ sine dubitatione affirmatur, filium à patre accipere essentiam diuinam, hoc est, deitatem. Propterea enim dicitur tum filius Dei, tum Deus de Deo. Mox quæstio alia emergit. An pater essentiam dans filio, eãdem dat, quam habet. Respondent, eandem esse. non enim eadem ratio est essentiæ diuinæ cum essentia creata. In humanis Abraham, generans Isaacum, dat quidem ei essentiam humanam, sed non eandem, quam habet, numero: sed specie eandem. Ita fit, vt mortuo Abrahamo, hoc est, essentia ipsius extincta, viuat Isaacus, hoc est, existat essentiaque eius duret. In diuinis secus est. vbi pater dat eandem numero essentiam diuinam filio, & quidem totam: quia deitas partitionem non fert. Ita filius Dei essentiâ diuina est idem cum patre: licet personas habeant distinctas. Hîc obiicitur, quomodo dantis esse idem est numero cum esse accipientis. Etenim si verum est, quòd priùs dictum est, idem non generare seipsum: aliumque esse, qui generet, alium, qui generetur: Certè idem quoque non dabit esse sibi ipsi. Sed

* Desideratur, Verum erit, aut aliquid simile.

* alium esse, qui det, alium qui accipiat. Audio. Sed hęc alietas ad personas referenda est, non ad essentiam. Quam enim essentiam habet pater, eandem filio dat: non eam abiiciendo à se, sed communicãdo cum filio. Quam etiam essentiam habet pater cum filio, eandem dant spiritui sancto. Non sic est in rebus creatis. Vbi, quod alteri datur, non retinetur ab eo, qui dedit. Abraham, generando Isaacum, fecit, vt Isaacus esset ei & filius, & homo. Sed hoc esse hominis communicatum cum Isaaco non est idem cum esse hominis, quod est in Abrahamo, nisi specie tenus tãtùm. Itaque, Abrahamo mortuo, species humana mansit in Isaaco.

CAPVT V.

Argumentorum pro vnitate essentiæ patris, & filii solutiones.

His quæstionibus ad hunc modum explicatis, repetenda sunt quædam supra à nobis dicta de Verbi deitate & consubstantialitate cum deo patre: & quid ad ea respõdeant, respondereue possint aduersarii, ostendendum. Tempora nostra declarant, opus esse argumentis grauissimis & firmissimis, quibus axioma, de quo agimus, confirmetur. Placet igitur in ea, quæ dicta sunt, inquiri; vt tandem aliquid solidius inueniri queat, in quo mens humana acquiescat.

I. ARGVMENTVM I.

Genesis. 1. Creatio.

In principio Deus creauit cœlum & terram. Pro DEVS Hebræi legunt Dii, & addunt verbum singularis numeri

meri CREAVIT. Igitur in Deo plures sunt personæ, vna essentia. Caluinus ridet eos, qui colligunt, in Deo hîc notari plures personas: monetque lectores, vt sibi à violentis eiusmodi glossis caueant. Putant, inquit, illi « se testimoniũ habere aduersus Arianos ad probandam « filii, & spiritus diuinitatem. Interea inuoluunt se in er- « rorem Sabellii. Quia postea subiicit Moses, Elohim lo- « quutum esse, & spiritum Elohim incubuisse aquis. Si « tres personas notari placet, nulla erit earum distinctio. « Sequitur enim, & filium à se genitum: & spiritum non « esse patris, sed sui ipsius. Mihi satis est, quòd pluralis nu « merus Dei virtutes sonet, quas in creando mundo exe- « ruit.

ARGVMENTVM II.

2. Genesis 1. Faciamus hominem.

Faciamus hominem ad imaginem nostram. Quem al- « loquitur Deus, cùm dicit faciamus? non cœlum nec « terram, quæ sunt res mutæ. non angelos, cùm illis vel « minimam tam præclari operis partem ascribere abo- « minandum sacrilegium sit. Vbi enim nos ad imaginem « vllius creaturæ creatos esse reperitur? An non Moses « statim omnes creaturas disertè excludit, cùm refert, ad « imaginem Dei creatum fuisse Adam? Qui Deum prin- « cipium more de se plurali numero loquutum aiunt, bis « insulsi sunt. Quasi verò ea barbaries, quæ à paucis sæcu- « lis inualuit, iam tunc regnaret in mundo. Christiani i- « gitur appositè plures subesse in Deo personas, ex hoc « testimonio contendunt. Cùm enim neminem extrane- « um aduocet Deus, colligimus, intus eum aliquid distin «

» ctum habere, vt certè eius sapientia & virtus in ipso re-
» sideat. Sic Caluinus. Respondent aliqui, quòd Deus alloquutus est angelos, non quòd eorum opera vsus esset in creando homine: nam priùs cœlum & terram, & res alias creauit sine eorum opera; sed quòd officium eorum cœpit in homine. Dicit igitur Faciamus, vt significet, angelorum ministerio opus fore illi figmento.

Huic responsioni aduersatur verbum illud AD IMAGINEM NOSTRAM. neque enim communis est imago Dei, & angelorum. Potiùs igitur videtur, Deum alloqui suũ logon: per quem Deus creauit secula omnia. Hoc verò si ita esset, tunc dualitas tantùm, vel (si libet adiungere spiritum sanctum) trinitas personarum intelligeretur in verbis FACIAMVS, & NOSTRAM; sed non vnitas essentiæ. Breuiter, dogma de trib. personis, quæ sint vnius essentiæ, eiusmodi est, vt confirmatione opus habeat multò clariore, quàm, quæ colligatur ex sententiis aliquid aliud sonãtibus. Nam in verbis citatis mentio fit expressa creationis. nihil disertè agitur, vt ostendatur vna essentia trium personarum. Obseruarunt & illud viri docti, numerum pluralem in verbo Faciam? positum esse pro singulari. idque ex præcedentibus & sequentibus colligunt. Nam priùs dixit Deus, Fiat lux, Fiat firmamentum: Inferiùs etiam dicitur Creauit deus hominem ad imaginem suam. nõ dicit, Creauerunt, » nec dicit, Suas. Sic & Christus loquitur Matth. 19. Qui » fecit hominem, masculum & fœminam fecit eos. Quod igitur in Genesi dicitur Faciamus, &, Nostram: hoc iterum ibidem

rum ibidem dicitur creauit, &, Suam. Christus autem dicit, Fecit. Multa à viris doctis & ex veteri & ex nouo testamento collecta sunt loca, in quibus aliquis vnus partim plurali partim singulari numero loquitur. Vt mirum non sit etiam hîc Deum loqui tum plurali tum singulari numero sine vlla mysteriorum indicatione.

ARGVMENTVM III.

3. Genesis 3. Adam vnus ex nobis.

Dixit dominus Deus, Ecce Adam factus est tanquam vnus ex nobis, sciendo bonum & malum. Si vna persona esset in diuinis, cur dicit EX NOBIS? Hoc enim ad angelos referri nimis coactum fuerit. Respondet Caluinus, sic hanc sententiam esse resoluēdam, Posthac Adam mihi erit similis, vt simus inter nos socii. Quòd autem eliciunt ex hoc loco Christiani doctrinam de tribus in Deo personis, vereor, ne satis firmum sit argumentum. Etsi autem Caluinus trium personarum vnam essentiam semper docuerit: tamen vir candidus, quæ aliena ab hoc argumento iudicabat, ea notabat. Oportebat omnino priùs extitisse certam & claram doctrinam de hac ipsa Trinitate, quàm ex sententiis aliquid aliud sonantibus eam colligere: præsertim, cum hoc axioma veteri ecclesiæ prorsus ignotum aut certè parum notum esset: in noua autem semper de eo variæ contentiones extiterint.

ARGVMENTVM IIII.

4. Ioan. 1. In principio erat verbū.

In principio erat verbum. Verbum erat apud Deum; & Deus erat verbum. Respondent aduersarii, concedendo, verbum esse deum, sed per communicationem deitatis à

tatis à Deo. Non posse hinc vnitatem trium colligi, verbis Ioannis indicari, cùm dicit, logon fuisse apud Deum: palamque ostendi, alium esse deum, apud quem sermo erat, & alium, sermonem, qui fuit apud Deum. Articulo Græco addito nomini Deus vel omisso discrimen hoc indicari: quòd eius additione indicetur Deus pater, qui sit summus deus: omissione autem alius deus ostendatur, quàm ille summus. Vt, cùm sic dicitur. Et ille sermo erat deus. Ad eundem modum Ioannes præcursor negatur fuisse lux illa, quæ sponte sua luceat: Etiam si sit lux, vt cæteri apostoli: sed luce ab alio communicata, nempe ab illo, qui sit illa lux. Patres hac sententia (verbum erat apud Deum) contra Sabellii confusionem vtebantur. Hac autem (verbum erat Deus) contra Arium pugnabant. Qui autem vnitatem essentiæ hinc elicerent, vix reperiuntur. Qui enim est apud alium, alius sit oportet. non enim rectè aliquis dicitur esse apud se ipsum, nisi fortè tropicῶς.

ARGVMENTVM V.

5. *Christus Deus.* Paulus Rom. 9. de Iudæorum prærogatiuis loquens, „ addit: Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est „ super omnia deus benedictus in secula, Amen. Respondent, locum hunc non eodem modo legi ab omnibus. „ Quosdam sic legere. Ex quibus Christus secundum car„ nem, qui est super omnia. Deinde, ex contemplatione „ charitatis erga genus humanum, addi gratiarum actio„ nem: Deus benedictus in secula. Plura habet Erasmus. Ex hoc loco variè intellecto nihil certi effici potest.

ARGV-

ARGVMENTVM VI. 6.

1. Io. 5. de Christo dicitur: Hic est Deus & vita æterna. «Christus deus
Respondent, verba Ioannis sic habere: Venit filius Dei, «& vita æter-
& dedit nobis intelligentiam, vt cognoscamus illum «na.
verum, & sumus in ipso vero, in filio eius Iesu Christo. «
Particula, quæ sequitur, declarat, quis sit ille verus, his
verbis: Hic est Deus & vita æterna. De patre igitur in- «
telligitur hic locus. Quod Erasmus annotauit. Qui ta-
men hanc particulam de filio intelligunt, agnoscunt, fi-
lium deum esse & vitam æternam: sed quemadmodum
cum diuinitatem à patre, ita & vitam habere dicunt.
vel Christo ipso authore sic dicente: Sicut pater habet « Ioan. 5.
vitam in se ita filio dedit vitam habere in se. «

ARGVMENTVM VII. 7.

Ioan. 10. Christus inquit: Ego & pater vnũ sumus. Non «Vnum sumus.
dixit Vnus, quo verbo singularitas significaretur. Non
dixit Sum, ne videretur personam vnam intelligere:
sed dixit Vnum sumus. Vnum scilicet potestate, virtute,
subsistentia siue essentia diuinitatis. Est igitur consub-
stantialis patri. Ideo Aug. de Trin. lib. 6. cap. 2. in fine. «
Vnum, inquit, sumus. quod ille, hoc & ego, secundum «
essentiam, non secundum relatiuum. Respondet Calui- «
nus, abusos esse veteres hoc loco, vt probarent Chri-
stum esse patri homousion. Verùm Christ⁹ hîc non de
vnitate substantiæ disputat: sed de consensu, quem ha-
bet cum patre. Quicquid scilicet geritur à Christo, pa-
tris virtute confirmatum iri. Hoc textu verborũ Chri-
sti satis indicatur. Cum enim dixisset, oues sibi à patre

datas ſicut è manibus patris, qui ſit omnium maximus, neminem eripere poſſe, ita ne ex ſuis quidem vllam vim eas ablaturam: mox ſubdidit· Ego & pater vnũ ſumus. hoc eſt ſumus pariter potentes, idem volentes, idem nolentes. Quid hoc ad vnitatem eſſentiæ?

8. ARGVMENTVM VIII.

Tres vnum. 1. Ioa. 5. Tres ſunt, qui teſtificantur in cœlo, Pater, ſermo, & ſpiritus ſanctus. Et hi tres vnum ſunt. Reſpondeo, non poſſe intelligi vnitatem ſubſtantiæ. alioqui ſpiritus, aqua, & ſanguis eodem modo dicerentur vnũ. Nam mox ibidem addit, Et tres ſunt, qui teſtificantur in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis. & hi tres vnum ſunt. Non igitur Vnum ad eſſentiã refertur, ſed ad teſtimonii vnitatem, quod ab illis dicitur. Authore Eraſmo, Caluino, Beza.

9. ARGVMENTVM IX.

Baptiſmus. Matth. vlt. Chriſtus ad apoſtolos inquit, Docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti. Si filius iubet baptizari in nomine horum trium: igitur ſentit, hos tres vnius eſſe eſſentiæ, maieſtatis, poteſtatis. Deus dicit, ſe gloriam ſuam alteri non eſſe daturum. *Eſa. 42.* Igitur Chriſtus, cùm vult eandem gloriam ſibi, patri, & ſpiritui ſancto dari, intelligit, ſe cum patre, & ſpiritu ſancto Deum eſſe. Sed plures Dii eſſe non poſſunt. Sunt igitur hi tres vn⁹ Deus. Reſpondeo, ex vnitate effectus concludi non poſſe cauſarum vnitatem. Eſaiæ 37. dicit Deus, Seruabo ciuitatem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Hîc

conſerua-

conſeruationem ciuitatis promittit deus & propter ſe, & propter Dauidem. An igitur Deus, & Dauid vnus ſunt? Minimè. Ita ex eo, quia baptiſmus iubetur fieri in nomine patris, filii, & ſpiritus ſancti, minimè ſequitur, hos vnum eſse. Quòd ſi dicas, illius promiſsionis hunc eſse ſenſum, protegã ciuitatem & meapte cauſa, & propter fidem famulo meo datam. Non equidem inficior, hunc ſenſum eſse verborum Dei. Sed & perinde concedenda erit alia interpretatio verborum Chriſti, quàm illa, qua vnitas eſsentiæ ſtatuitur. Hæc nimirum, Baptizate in nomine patris, qui author ſit noſtræ ſecum reconciliationis: filii, cuius morte hæc conciliatio ſit facta: ſpiritus ſancti, qui ſit arrhabo recõciliationis. Quæ igitur vnitas horũ trium, ſeu in Chriſti baptiſmo, ſeu in trãsfiguratione, apparuit, quia vnũ teſtarentur omnes: eadem, & nõmaior, in noſtro baptiſmo cõcludenda eſt. Similis locus habetur ad Tit. 3. Seruauit nos, inquit, Deus lauacro renaſcentiæ renouationiſque ſpiritus ſancti: quo nos largè perfudit per Ieſum Chriſtũ ſeruatorem noſtrũ. Non'ne & hîc beneficium ſalutis Deo acceptum refert, qui nos ſeruet per Ieſum Chriſtũ lauacro, quo renaſcimur, & à ſpiritu ſancto renouamur? An hîc eſt aliqua ſignificatio conſubſtantialitatis? nulla certè.

ARGVMENTVM X. 10.

Ioa. 14. Chriſtus dicit: Ego in patre, & pater in me eſt. Sunt ergo vnius eſsentiæ. Reſpondeo, eodem modo concludendum eſset, apoſtolos cum Chriſto vnum eſſe eſsentialiter. Quia Chriſtus ſic dicit Ioan. 14. ℣. 20. « Ego in patre, pater in me.

» In illa die cognoscetis, quòd ego sum in patre meo,&
» vos in me, & ego in vobis. Neque tamen apostoli vni-
us essentiæ erant cum Christo. Caluinus dicit, Chri-
stum non de æterna sua essentia hîc disserere: sed diui-
nam virtutem, quæ in eo patefacta sit, commendare.
Quemadmodum enim pater plenitudinem in filio de-
posuit bonorum omnium: ita vicissim se totum in eos
effudit filius. Dicimur in ipso esse, quia in eius corpus
insiti, iustitiæ, bonorumque omnium sumus consortes.
Ipse in nobis esse dicitur, quia spiritus sui efficacia cla-
rè demonstrat, se nobis esse vitæ authorem & causam.
Ioannis 14. » In illa autem verba (Philippe, qui videt me, videt & pa-
» trem. non credis, quòd ego in patre, & pater in me est)
» idem Caluinus scribendo, Hæc, inquit, verba non ad
» diuinam Christi essentiam refero, sed ad modum reue-
» lationis. Christus enim, quò ad arcanam suam deita-
» tem, nihilò nobis notior est, quàm pater. Verùm dici-
» tur esse expressa Dei imago, quia se totum in illo pate-
» fecit Deus, quatenus illîc immensa eius bonitas, sapien
» tia, & virtus in solidum apparet. Neque tamen perpe-
» ram veteres, qui hinc testimonium sumant pro asseren
» da Christi diuinitate. sed quia non simpliciter disputat
» Christus, quis in se sit, sed qualis debeat cognosci à no-
» bis, virtutis potiùs, quàm essentiæ elogium est. Pater
» ergo in Christo esse dicitur, quia in eo plena diuinitas
» habitat, & virtutem suam exerit. Christus vicissim di-
» citur esse in patre, quia diuina virtute se vnum cum il-
» lo esse ostendit. In illa verò verba Io. 17. (Pater conser-

na per tuum nomen eos, quos mihi dedisti; vt sint vnum sicut & nos) scribit, Christum hîc non de diuinitatis suæ arcano loqui. sed, ne irrita vel inutilis sit filii cum patre vnitas, eius virtutẽ oportere in totum piorum corpus diffundi. Sumus igitur vnũ cum Christo, non quia suam in nos substantiã transfundat: sed quia spiritus sui virtute vitam suam, & quicquid accepit à patre bonorum communicet. Hucusque Caluinus, & quidem clarissimè, non de natura sua Christum his verbis disserere: sed potiùs apostolos docere, vt Deũ cognoscant ex doctrina, & operibus à se editis: Deum, inquam, inuisibilem ex se filio visibili, qui sit imago gloriæ patris.

ARGVMENTVM XI.

II. *Principium, Ego sum.*

Ioan. 8. Christus se principiũ vocat, & illam vocem, quæ Dei propria est, Ego sum, sibi accommodat. Quod Iudæi audientes, lapidibus voluerunt eum obruere. Respondet Caluinus, perperam hæc à veteribus ad diuinam Christi essentiam tracta esse: cum potiùs de officio suo erga nos Christus loquatur. In hac ergo locutione, Nisi credideritis quòd ego sum, subest emphasis, quia subaudienda sunt quæcunque scriptura Messiæ tribuit & ab ipso sperare iubet, &c. Illam vocem Principium perperam hîc legi, quasi nominandi casus esset: ac si æternam suam diuinitatem Christus hîc assereret: itaq; aduerbialiter hîc legendum, & Caluinus, & Erasmus censent. Sic enim Græci dicunt τὸ ἀρχήν pro primo seu principio: sicut τέλος pro postremo. nec est Græcè, ὅς sed ὅτι: id est Quia, vel Quòd. Et quanquam apud Græcos

sensus nonnihil habet ambiguitatis: potest tamen hic sensus esse, vt rogat⁹ Iesus, quis esset, respondérit, Hoc primo loco dicam, is sum, qui loquor vobiscum, &c. Multa dicit Erasmus, quibus ambiguitatem sermonis ostendit. Itaq; ex loco tam ambiguo nihil concludi potest. Addit Erasmus, Augustinum laborare, quomodo Christus dicatur principium: cùm esse ab alio pugnet cum principii ratione. Pater enim simpliciter & absolutè principium vocatur (absolutè dico, non perfectè: cum hæc appellatio, Perfectè, competat & in filium) sed ita, vt nihil nominari possit, cuius non sit principium. Siquidem pater principium est omnium, & creatorum, & increatorum. Filius patris certè principiū dici non potest; vt neque totius diuinitatis, quemadmodum sentit Augustinus. Quanquā Paulus in epistola ad Colos-

Christus principiū quomodo?

Col. 1. „ senses eum principium vocat absolutè: sed addens, Pri-
„ mogenitus ex mortuis. Et Paulus superiùs ibidem di-
„ xerat, Primogenitus omnis creaturæ. Quòd autem in Apocalypsi dicitur principium, & finis, constat intelligendum, Christum esse initium, & consummationem Ecclesiæ; quam priore aduentu constituit, posteriore perficiet. Eodem capite Ioannes sic narrat alia verba
„ Christi. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cogno-
„ scetis, quòd ego sum. Sed & hæc verba Caluinus dicit non ad diuinam Christi essentiam esse referenda, sed ad officium duntaxat. Quod ex verbis mox sequentib. patet; vbi negat, se facere quicquam, nisi ex patris man-
„ dato. Dicit enim⁹ Et à me ipso nihil facio: sed quem-
„ admodum docuit me pater, hoc loquor.

ARGVMENTVM XII. 12.

Ioan.8. Christus dicit: Antequam Abraham fieret, ego sum. Respondet Theodorus Beza vir doctissimus & eloquentissimus, Christum non propriè hic agere de se, quatenus deus est: sed quatenus visus est ab Abrahamo, vnus scilicet Dei, & hominum mediator homo Christus Iesus (nam alioqui non videretur appositè disserere) Tamen, quia vt mediator considerari non potest, nisi verè sit Emanuel, & hac ratione etiam dicitur agn' à constitutione mundi occisus, immo verò Christus fuisse heri, & hodie, seruāda est hæc antithesis, Antequam Abraham fieret ego sum. Opponitur enim γίγνεσθαι τῷ ἄναι. quod illi demum propriè tribuitur, qui solus verè existit. Hæc ille. Quid multis? Erat Christus ante Abrahamum, & ante omnes, quia virtus, & gratia eius, quatenus mundi redemptor est, omnium ætatum communis est. Conuenit igitur cum illo apostoli dicto Hebr. 13. Christus heri, & hodie, & in secula. Verùm hinc consubstantialitas cum patre probari non potest.

Eße ante Abrahamum.

ARGVMENTVM XIII. 13.

Paulus Philip. 2. Christus, cùm esset in forma dei, non arbitratus est rapinam, se æqualem esse deo. sed se inaniuit, forma serui sumpta. Hæc verba non possunt intelligi de Christo, vt homo est. Verè enim rapina esset, si hoc modo se Deo æquaret. Igitur intelligenda sunt de Christo, vt deus est. atque sensus eorum est, Christus cùm sit in forma dei, hoc est Deus ipse, non putauit rapinam, quòd esset æqualis Deo. nam quod est naturæ, minimè

Rapina.

minimè putandum est esse rapinæ. Hæc interpretatio
» est Augustini. Sed Erasmo non placet. Quid, inquit,
» magni tribuit Paulus Christo, si, cùm Deus esset natu-
» ra, intellexit id non esse rapinæ, hoc est nouit se ipsum?
Verùm sententiæ Augustini Caluinus suum calculum
» addit; atque sic suam sententiam concludit: Qui habet
» æqualitatem cum Deo, absque rapina, habet essentiam
» Dei. Christus habet æqualitatem cum Deo absque ra-
pina. Habet igitur essentiam Dei. Maiorem probat,
quia habere æqualitatem cum Deo, est habere Dei glo
riam, & maiestatem; hæc autem ab essentia se unatura
Dei separari non possunt. Quemadmodū ipse Deus lo
Esa. 48. » quitur apud Esaiam, Gloriam meam alteri non dabo.
Minorē, quia Paulus dicit, Christum in forma Dei exi-
stentem non pro rapina ducere suam cum Deo æquali
» tatem. Hucque pertinent verba illa Augustini, Chri-
» stus coæqualitatem suam cum deo patre, quia naturæ
» erat, non putauit rapinæ. Ex quibus verbis sic licet ra-
tiocinari, Christus cùm sit Deus, aut deitatem habet
rapto, aut naturâ. Non rapto habere, Paulus locuples
author est. habet igitur naturâ. atque ita naturâ & essen
tia sua Deus est. In contrarium tamen potest dici, non
has esse solas causas habendi aliquid, naturā, & raptum.
Habet enim aliquis & possidet, quod nec rapuit, nec na
turâ sortitus est, sed dono & beneficio alterius. atq; sic
argumentum propositum ruit. Certè Christus benefi-
cio patris sui est deus. Itaque & eum sæpe vocat deum
suum & in eo loco, quem tractamus, Paulus non eum

vocat

vocat deum, sed in forma dei. Etsi autē aliqui, formam dei volunt hoc loco esse gloriam, & maiestatem Dei, quæ ab essentia Dei separari nequeat: tamen quid facias illis, quibus hîc forma est specimen aut exemplum, dū in corpore humano obambulans magna ederet argumēta diuinitatis, leprosos mūdando, cęcis visum, surdis auditū restituendo, morbos curando, mortuos excitādo. Et hæc quidē interpretatio est Ambrosii, quam amplectitur Erasmus. cui videtur hic locus Pauli ad Christi naturam violentiùs detorqueri. Paulū hîc non agere, quid esset Christus, sed qualem se gesserit, & quam speciem nobis exhibuerit. Erat quidem ille in Dei forma, quam & vita prorsus diuina, & operibus stupendis repræsentauit. nec tamen sibi æqualitatem cum Deo per rapinam vsurpauit: sed inaniuit sese, forma & specie serui sumpta, factus obediens vsque ad mortem, & quidem mortem crucis. Quapropter etiam Deus ipsum extulit in summam sublimitatem. Prior interpretatio est, vt priùs diximus, Augustini, cui Caluinus subscribit. Eius sententiam supra expressimus. Posterior Erasmi. Atque hucusque recensuimus sententias virorum magnorū & in omni doctrinæ genere principum. Verumtamen contrarias. vt mirum non sit, aduersarios hoc Pauli testimonio conuinci non posse: cùm contrariorum ea vis sit, vt alterum destruat alterum. Irascitur Caluinus, quòd Erasmus hunc locum eludere suis cauillis conatur; quem tanti facit, vt ne quidem omnes diabolos sibi eum posse extorquere existimet. Verùm

& Caluinus ad eundem scopulum videtur impegisse, qui locos multos, quos veteres de Christi æterna deitate interpretati sunt, longè aliter interpretatur. Puto & ego illud considerandum esse, de essentia Christi diuina facilè Arianos assensuros esse. nam illi non negant (si tamen vera sunt, quæ de illis scribuntur) Christum & filium Dei esse, & deum esse: & quidem magnum deum, & deum super omnia benedictum. Sed tamen arbitrabãtur, patrem aliquo modo peculiari dici deum, quo filius, & spiritus sanct⁹ non dicantur. Puto itaque, Arianos facilè concessuros, Christum esse per essentiam deum. Sed ita, quemadmodum viuit per essentiam.
» De quo Christus ipse sic inquit Ioan. 5. Sicut pater ha-
» bet vitam in se ipso, ita filio dedit, vt vitam habeat in
» se ipso. An igitur nõ rectè dicerent Ariani, Vt pater habet essentiam diuinam in semetipso, ita dedit habere filio essentiam in semetipso? Hoc enim contendere Ariani videntur, solum patrem à se deum esse: Christum quidem deum esse, sed non à se. De quo & priùs diximus, & infra erit alius dicendi locus. Quid autem impedit, quominus Augustini sententia inuertatur, contraria autem confirmetur ad hunc modum? Christus, cùm in forma dei esset, nimirum honore, maiestate, essentia diuina à Deo donatus: non putauit rapiendam esse æqualitatem cum Deo. Est autem hîc Putare non tam cognitionis, quàm rei. Quemadmodum eodem in
„ capite loquitur Paulus. Necessarium existimaui Epa-
„ phroditum mittere ad vos. hoc est, misi necessariò. Sic
hoc

hoc in loco; Christus non putauit rapere æqualitatem, hoc est, minimè rapuit, nec rapto vsurpauit æqualitatem cum Deo. Certè, si non omne id, quod esset, quodque faceret, referret ad patrem; si quid sibi arrogaret, rapere videretur istã æqualitatem. Cùm autem passim in euangelicis scriptis videamus, eum agnoscere, Patrem, suum deum esse: illiq; omnia, quæ haberet, faceretque * acceptum referre, nequaquam impiam admittere rapinam putandus est: sed in omnibus beneficium patris agnoscere, à quo & vitam ipsam sibi datam esse, profiteatur. Quid multa? Si Erasmo, & Caluino credimus dicentibus, nõ hîc Paulum docere, quid Christus fuerit, sed qualem se gesserit, parum probabiliter faciunt, qui Christi diuinam naturam hinc elicere conantur. Quomodo enim natura diuina, quæ æterna sit & immutabilis, exinanire & humiliare se potuit? Simplex igitur explicatio loci huius hæc esse videtur. Christus, cùm in forma dei esset: nimirum summam à Deo adeptus potestatem in res omnes creatas, quæ ipsius iussis obtemperare cogebãtur, etiam diaboli ipsi: hac tamen potestate non est vsus, vt rapiendam putaret æqualitatem Dei, non eam tunc exercuit, cum maximè oportebat, vt se à morte seruaret. Quod quidem illum potuisse voce illa ostendit, ad quam solam Iudæi manus in eum iniecturi, retro abierunt, ac in terram cõciderunt. Sed Christus exinaniuit se, quasi potestatem illam exuendo. Permisit se capi, & interfici * ad mortem vsque: vt nos à morte seruaret.

* Sic est in autographo, non, accepta.

Erasmus in annotationibus. Caluinus in Institutio. lib. 2. cap. 13.

* Vel hîc verbũ verbaue aliqua mente cõcepta scriptoris manus non expressit, vel interficiendi verbũ nouo prorsus sensu vsurpatum fuit.

14. ARGVMENTVM XIIII.

Inhabitatio corporalis. » Colos.2. In Christo inhabitat omnis plenitudo diuini. » tatis corporaliter. Respondent, non eam esse sententiam Pauli, vt locũ inhabitationis deitatis indicet. Quæ cùm sit immensa, coniungi non posset cum aliqua re corporali in vnitatẽ suppositi. Potiùs igitur dicendum videtur, Paulum non tam hîc docere, Christus quid sit, quàm, quo erga sua membra officio fungatur. In ipsum transfusam esse plenitudinem omnem diuinæ potestatis, ac bonitatis. quæ in eo inhabitet, non quidem vmbraticè aut figuratè, sed solidè & efficaciter. In eo nos ait esse completos; quòd, cùm illi nihil desit, non sit necesse, nos aliunde petere quicquam.

ARGVMENTVM XV.

15. Apparitio in carne. » 1. Tim.3. Deus apparuit in carne. Tit.2. Expectemus » aduentum gloriæ magni dei & seruatoris nostri Iesu » Christi. Hæc de Christo dicuntur. Concedunt aduersarii. sed tamen negant, eum deum esse a se: esseque essentialiter vnum cum patre. Afferunt etiam loci vtrius que lectiones varias; quas apud eos legi licet.

16. ARGVMENTVM XVI.

Fides. Soli Deo fides habenda est. Execrabilis est enim, qui confidit in homine, Ierem. 17. Sed qui confidunt Christo, minimè sunt execrabiles. Est igitur Christus non » tantùm homo, sed Deus quoque. Io.14. Creditis in De- » um, & in me credite. Matth. 9. verba sunt Christi ad pa » raliticum, Confide fili: remittuntur tibi peccata. Esa. » 11. & Rom.15. Erit radix Iesse, qui exurgat ad imperandum gen-

dum gentibus. In ipso gentes sperabunt. Respondeo, Christum audiendum esse magistrum & doctorem. In quo etsi spes sit collocanda, non tamen vt præcipuo authore bonorum, sed vt distributore beneficiorum Dei. Habet quidem ille vitam in se, & est author vitæ omnium, vt Petrus inquit Act. 3. sed eam vitam à patre se habere dicit: a quo etiam excitatus est à mortuis. De fide sibi habenda sic dicit Ioan. 12. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. Non'ne Christus eminentiam patris indicat, in quem præcipuè fides nostra tendere debeat: & quem spectare debeamus, tanquam eum, à quo sit omne bonum, & à quo descendat omne munus perfectum? Atque ille pater iussit audiri filium suum, Matth. 17. In quo voluit inhabitare omnem plenitudinem: & per eum sibi reconciliare omnia. Ille filius, qui dixit, eum, qui sibi fidem habeat, non sibi fidem habere, sed ei à quo missus esset, magis confirmat munus à patre sibi commissum, Quia inquit Ioan. 12. Ego ex me ipso non sum loquutus: sed qui misit me pater, ipse mihi mandauit, quid dicam, & quid loquar. Ioan. 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.

ARGVMENTVM XVII. 17.

Adoratio, Inuocatio.

Eodem modo argumẽta ab adoratione, & inuocatione ducta soluenda esse videntur. Christum enim & adorandum, & inuocandum esse, & testimoniis scripturarum, & exemplis demonstrari potest: verùm non vt præcipuum authorẽ bonorum: sed vt mediatorem, ad-

vocatum, dispensatorem à Deo constitutum. Quid autem hoc ad consubstantialitatem?

18. ARGVMENTVM XVIII.

Esaiæ visio. Esaias cap. 6. dicit, se vidisse Dominum sedẽtem super solium excelsum & eleuatum, cuius fimbriæ replebant templum. Hanc visionem describit Esaias, vt authoritatem eius, qui se mittat, asserat apud eos, ad quos mittebatur. Describit igitur mandata, cum quibus mitte-
„ batur, his verbis, Vade & dicas populo huic, Audite
„ audiendo, & ne intelligatis. Videte videndo, & ne co-
„ gnoscatis. Excœca cor populi huius, & aures eius ag-
„ graua, & oculos eius claude; ne fortè videat oculis suis,
„ & auribus suis audiat, & corde intelligat, & conuerta-
„ tur, & sanem eum. Hæc verba propheta tribuit Iehouæ Deo exercituũ. Ioannes interpretatur, visam à propheta fuisse gloriam Christi, cui eadem illa verba assignat, cap. 12. Paulus spiritum sanctum esse dicit, qui ea loquutus sit, Act. vlt. Igitur vnus est Deus pater, filius, spiritus sanctus. Respondent, locum Esaiæ intelligendum esse de Deo patre, cui illud canticum à Seraphis
„ tunc cantabatur, Sanctus, Sanctus, Sanctus Ioua armipo
„ tens, cuius gloria plenus est orbis vniuersus. Hoc enim
Apoc. 4. ipsum canticum refert se Ioannes audiuisse, cùm cantaretur sine intermissione à quatuor animalibus coram eo, qui in cœlo sedebat in solio, his verbis, Sanctus,
„ Sanctus, Sanctus, dominus deus armipotens, qui fuit, qui est, & qui venturus est. Quæ quidem verba ad deum patrem pertinere, hinc manifestum est, quòd mox

Ioannes

Ioannes facit mẽtionem libri ad ſedentis in ſolio dexteram poſiti; qui liber intus & extra ſcriptus eſset, & ſigillis ſeptem obſignatus. Hunc librum dicit à nemine potuiſse aperiri, præter agnum, qui dignus fuerit eum aperire. Diſtinctè igitur facit mentionem ſedentis in ſolio, diſtinctè agni: illaque verba, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ad ſedentem pertinere refert, non ad agnum. Neque verò obſtat huic ſententiæ illud, quod à Ioanne dicitur, Deum à nemine viſum eſse vnquam. Non enim dicimus, viſum eſse in propria eſsentia, ſed in figura: quemadmodum longæuus dicitur viſus eſse prophetis, aut is, qui ſedet in ſolio. Quòd autem Iohannes cap. 12. dicit, Eſaiam vidiſse gloriam Chriſti, prorſus ita eſt. Sed tamen non dicit, quòd viderit Chriſtum, ſed gloriam & ſpecimen regni eius. Quemadmodum enim Abraham dicitur vidiſse diem Chriſti, multis ante ſeculis, quàm Chriſtus naſceretur; ſic Eſaias oculis propheticis vidit gloriam filii Dei. Quæ tunc maximè patefacta eſt, cùm ipſe Chriſtus in mundum venit, à patre commendatus voce illa: Hic eſt filius meus dilectus. hunc audite. Tunc enim, vt Petrus teſtatur, accepit honorem, & gloriam à Patre. Etſi autem tunc videbant Iudæi magna prodigia à Chriſto fieri: tamen in eo offendebantur. Itaque Eſaias dicit, Videntes ne videant, &c. Difficile eſt homini intelligenti conſtituere ex hac viſione Eſaiæ vnitatem eſsentiæ. Quæ quidem vnitas prorſus conuellitur viſionibus aliis; vt illa, quam Iohannes Apoc. 4. & 5. deſcribit proximè à nobis commemorata.

Apoc. 5.

Ioan. 1.

2. Petri.

Eſa. 6.

memorata. Deinde & illa, quam Daniel scribit his ver-
Dan. 7. „ bis: Sedit, positis sellis, longæuus. Homine autem na-
„ tus veniebat, & ad longæuum peruênit. Cui tanta po-
„ testas, dignitas, regnum datum est, vt omnes omnium
„ linguarum populi ac nationes eum colerent, æterna ac
„ immutabili potestate, imperditoque regno præditum.
Quis hinc colligat essentiæ vnitatem, cùm quidem lon gæui alia essentia sit, alia homine nati? De spiritu autem sancto dictum est superiùs, eundem esse filii, qui sit patris; vt mirum non sit, quæ vel patri, vel filio tribuuntur, eadem spiritui sancto tribui. Certè Christus, cùm pollicetur, se spiritum sanctum missurum à patre,
Ioan. 16. „ addit, Non enim, inquit, loquetur à semetipso: sed quæ
„ cunque audierit, loquetur; & quæ futura sunt, annun-
„ tiabit vobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet
„ & annuntiabit vobis. Non suam igitur, sed filii voluntatem annuntiat spiritus sanctus. An inde concludetur vnitas essentiæ? Misit & apostolos Christus, qui essent annunciaturi verba illius. an propterea sunt vnius essentiæ cũ Christo? Ad hæc ex prædicati (sic enim loquuntur in scholis) vnitate non rectè concluditur vnitas essentiæ subiectorum. Vt, quia spiritus sanctus testatur de Christo, & apostoli testantur de eodẽ (quorum vtrumque affirmat Christus Ioan. 15.) non rectè inferri potest, apostolos esse spiritum sanctum.

19. ARGVMENTVM XIX.

Creatio „ Creatio tribuitur patri, Gen. 1. In principio Deus crea-
„ uit cœlum, & terram: Filio item; Heb. 1. & alibi sæpe:

Hinc

Hinc fit, vt verba Psalmi 102. (Tu Domine initio terram fundasti,& opera manuum tuarũ sunt cœli) Christo accommodentur, Heb. 1. Respondent, Quamuis scriptura filio creationem attribuat: * verùm ' cum ea cautione, vt per eum dicat omnia facta esse in cœlo, & in terra. Psal. 33. Verbo Domini cœli firmati sunt. Ioa. 1. Per quem omnia facta sunt. Heb. 1. Per quem fecit secula. Interim tenendum est, deum patrem authorem esse primum creationis,& rerum aliarum: Christum autem secundarium, 1. Cor. 15. Deo gratia, qui dat nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Ad hunc modum apostoli dicebantur signa, & prodigia facere in populo: verumtamen Barnabas, & Paul⁹ Act. 15. narrant, Deum esse, qui illa prodigia per ipsos ediderit. Etsi autem de patre quoq; scriptura dicat, quòd per eum aliquid fiat (Fidelis Deus, per quem vocati sumus in societatem filii eius, 1. Cor. 1.) Tamen non propterea putandus est esse instrumentum: cùm quidem author sit, & factor rerum omnium, agens omnia per filium.

* Pro tamen.

ARGVMENTVM XX. 20.

Esa. 42. Gloriam meam alteri non dabo, inquit Deus. Sed constat, eandem gloriam tribui filio, quæ patri. Filius igitur vnus est deus cum patre. Respondent, Deum loqui contra Idola, quibus gentes tribuebant gloriam, quæ Deo debetur. Sic enim dicit eo in loco Deus· Ego Iehoua. Hoc est nomen meum; & gloriam meam alteri nõ dabo, nec laudem meam sculptilibus. Se-

» Gloria.

cus est de filio, quem pater amat, eique tradidit in manum omnia. vt testatur Ioannes Baptista Ioan. 3. Ipse
» autem filius sic Ioan. 13. Nunc, inquit, glorificatus est
» filius hominis, & Deus glorificabit eum in semetipso. Itaque Apoc. 5. tribuitur illa vox omnibus rebus creatis. Sedenti in solio, & agno benedictio, honor, gloria,
» & potestas in secula seculorum. His verbis par gloria videtur dari sessori throni, & agno. Verumtamen scien dum est, omnem gloriā filii esse à gloria patris. Quod
2. Pet. 1. » sic Petrus testatur, de Christo loquens, Acceperat e-
» nim à deo patre honorem & gloriam, voce ad eum de-
» lata huiusmodi à magnifica gloria, Hic est ille filius me-
» us dilectus, in quo acquiesco. Et hanc vocem nos audi-
» uimus è cœlo delatam, cùm essemus vnà cum eo in
» monte sancto. Dico igitur, patrem nemini gloriam suam dedisse, ita vt eam à se haberet cum ea plenitudine, qua pater; qui ita à se habet, vt à nemine alio. Filius verò, vt vitam, ita & gloriam à patre habet. Ideo & regnū
1. Cor. 15. suum, postea quam officio defungetur, traditurus est patri. Hinc autem vnitas essentiæ nequaquam elici po-
Esa. 45, 46. test. Immo Deus ipse dicit, se deum esse, quo excepto, nullus præterea deus sit. De filio autem loquēs, seruum
Esa. 42. suum vocat, qui esset ecclesiæ suæ defensor. An horum vna est essentia? Sessori autem throni, & agno diuersas essentias esse, visio Ioannis declarat, quam descripsit Apoc. 4. & 5.

21. ARGVMENTVM XXI.

α & ω. » Esaiæ 41. Ego Ioua primus & nouissimus, & præter me non est

non est Deus. Hoc de patre dicitur, sicut & Apoc. 1. « Ego, inquit, sum α & ω, principium & finis, dicit dominus, Qui est & qui erat & qui venturus est, ille, inquam, omnipotens. Sic & Apoc. 21. Ego sum α & ω, principium & finis. Eadem tribuuntur filio, Apoc. 1. Ego, inquit, sum primus & vltimus, & qui viuo; sed fui mortuus. sed ecce viuo in secula seculorum, Amen. Respondeo, si ex his verbis elicienda esset paritas, vel consubstantialitas filii cum patre, omnino hæc conuenirent filio, in quantum est homo. Qui enim dicit in fine capitis primi Apocalypseos, se esse primũ & vltimum, mox subdit, se viuere, sed fuisse mortuum. Quod certè in Christum cadere non potest, quatenus est deus. Non sunt igitur verba illa, Primus & vltimus, tanti, vt constituant vel paritatem, vel cõsubstãtialitatem filii cum patre. Tribuuntur tamen vtrique: sed diuersis rationibus. Nam pater est absolutè principium & finis. nam vocatur principium sine principio. Filius dicitur principium, quia est caput suorum fidelium, Col. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis. Eph. 1. Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam: quæ est corpus ipsius, & complementum eius, qũi omnia in omnibus adimplet. Ideo & vltimus dicitur, quia est vita æterna omnium fidelium. Deus igitur est principium omnium, etiam ipsius filii. Filius omnium aliorum, sed non Dei; à quo & vitam fatetur se habere. Ioan. 5.

ARGVMENTVM XXII.

22. Noße corda hominum.

» 2. Paralip. 6. Salomon inquit, Tu Ioua noſti corda ho-
» minum. Idem de filio dicitur, Hebr. 4. Omnia nuda ac
» reſupinata oculis eius. Reſpondent, id dici eo in loco,
» vbi dicitur· Viuus eſt ſermo dei. Totusque ille locus
intelligitur non de filio, ſed de verbo vocali. Quod &
» Caluinus fatetur; Nulla, inquit, creatura eſt, quæ late-
» teat oculos Dei. Ergo nihil tam profundum erit in ho-
» minis animo, quod non extrahatur in lucem eius ver-
» bo, quod authorem ſuum refert. Sicut enim officium
» Dei eſt ſcrutari corda: ita hanc cognitionem verbo ſuo
» exercet. Hæc ille. Neq; verò negandum eſt, Chriſtum
quoque ſcrutari hominum corda; ſed non ideo confun
* Perſonæ hic idem valet, quod eſsentię dendę ſunt * perſonæ. Cõplacuit enim patri in Chriſto
inhabitare omnes theſauros ſapientiæ.

23. Ierem. 23. Implere omnia.

ARGVMENTVM XXIII.

» Cœlum & terram ego impleo, dicit Deus. De filio i-
» dem dicitur Eph. 4. Omnia in omnibus implet. Reſpõ-
» dent, Paulum loqui de miniſterio. Vt impleret omnia;
id eſt, vt perficeret & inſtauraret omnia, quæ in cœlo
ſunt, & in terra. vt plenè exædificaret ciuitatem cœle-
ſtem, hoc eſt Eccleſiam.

24. Pater.

ARGVMENTVM XXIIII.

» Eſaiæ 9. Puer nobis naſcitur, filius nobis datur, qui hu-
» meris ſuis principatum gerit, qui nomine vocatur ad-
» mirabilis, conſiliarius, deus potens, pater æternitatis.
Hîc non tantùm deus, ſed & pater noſter vocatur. Re-
ſpondent, hoc ideo fieri, quia, vt primus Adam pater
fuit, per

fuit, per quem Deus omnes genitos voluit: ita secundus Adam pater est, per quem regeniti sumus in nouas creaturas.

ARGVMENTVM XXV. 25.

1. Cor. 1. & 2. filius dei vocatur sapiẽtia patris. Si filius non est consubstantialis patri, pater vel erit sine sapientia, vel duas sapientias habebit. Hoc argumento patres vsi sunt contra Arium. Respondent, sapientiam cum apostolo Col. 2. intelligendam esse filium Dei, in quo sint thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Optat ibi Paulus fidelibus, vt tam diuite tam plena abundent peritia, vt Dei patrisque, & Christi mysterium percipiant, in quo sunt omnes sapientiæ, ac scientiæ opes reconditæ. Ideo Christus ipse dicit Ioan. 15. Omnia, quæ audiui à patre, annunciaui vobis. Est igitur sapientia, quia Deum inuisibilem manifestat nobis: estque lumen, & imago patris. Sapientiæ 8. dicit sapientia, se conditam esse ante ortum terræ ab omni æternitate: seq; Iouæ adfuisse olim ante sua opera. Neque ego dubitem, quin Iouæ sit sua sapientia. Sed & filius sapientia Dei dicitur; quemadmodum dicitur & verbum, quòd per eum loquatur nobiscum Deus: nosque doceat, & admoneat, vt in se vno spes nostras collocemus, &, contemptis bonis mundi huius, ad vitam cœlestem contendamus. *Sapientia.*

ARGVMENTVM XXVI. 26.

Matth. 11. Christus loquitur, Gratias ago tibi pater, « domine cœli, & terræ. Sed & filius dicitur dominus « sabbati, Matth. 8. Idem dicit: Pater, quod tu habes, *Dominus. Ioan. 17.*

meum est. Igitur & hoc, vt sit dominus cũ patre. Concedunt: sed differenter. Pater à se, filius à patre. nam di-
Matth. 28. » cit, datam sibi esse omnẽ potestatẽ in cœlo, & in terra.

27. ARGVMENTVM XXVII.

Templum. Quæ Dei domus est, eandem Christus dicit esse suam; Matth. 21. Domus mea, domus orationis vocabitur.
» Malach. 3. Veniet dominator ad suum templum, quem
» vos quæritis. Respondent, hoc dici non propter vnitatem
» essentiæ, sed quia est legatus Dei. Sic enim est apud
» Malachiam cap. 3. Ego mittam meum nuntium, qui mi-
» hi viam præparabit. & repente veniet in suum delu-
» brum dominus, quem vos requiritis, fœderisque nun-
» tius, quem vos auetis. Is venturus est, inquit armipo-
» tens Ioua. Hîc manifestè discernitur nuntius ab Ioua, missus à mittente. Ille, Ioua: hic, nuntius fœderis vocatur. Non dicit Ioua, se venturum in templum suum. Sed veniet, inquit, angelus fœderis. Quod nomen deo patri nequaquam competit. Non sunt igitur in vnam substantiam miscendi.

28. ARGVMENTVM XXVIII.

Mansio. Non tantùm materialis, sed & spiritualis domus filius
» est dominus cum patre, Ioan. 14. Si quis diligit me, ser-
» monem meum seruabit; & pater meus diliget eum; &
» ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Respondeo, Nec aduentus, nec mansio localis intelligenda est. Replet enim loca omnia & pater, & filius, in quantum deus; vt non sit opus eos venire aliquò. Veniunt igitur & manent per gratiam; vt fideles in perpetua

gratiæ

gratiæ fiducia confirment; vt illi bonitate patris, & redemptione Christi perpetuò perfruantur. Hoc autem quid ad vnitatem essentiæ?

ARGVMENTVM XXIX. 29.

Aduersarii dicunt, solum patrem esse ἀυτόθεον. hoc est, vt interpretantur, à se ipso suum esse habere: ac proinde solum deum dici. Sed hoc ineptè dicitur. nam à se vel ab alio esse, aliam naturæ speciem non constituit. Ac proinde pater ob eam solam causam solus & vnicus deus esse dici non potest, nec debet: sed solus & vnicus pater; sicut solus & vnicus filius, quia vnigenitus. Respondeo, Imò, qui à se est, & qui ab alio est, vnius numero essentiæ esse non possunt. Vtcunq; autem in rebus creatis specie tenus vnũ esse possint generans cum genito: tamen in diuinis haud scio an id dici possit. Pater filium, suum seruum vocat. filius quoque patrem se maiorem esse affirmat. Non sunt igitur vnius essentiæ. ἀυτόθεος. Esa. 42. Ioan. 14.

ARGVMENTVM XXX. 30.

Si filius est Dei beneficio deus: Igitur licebit, vt Paulus ei dicat, Quid habes Christe, in quo glorieris, quod non * accepisses? Et Christus poterit respondere, Gratia Dei sum id, quod sum. Ergo est deus per apotheosin seu canonisatus.* Dico, Quasi nesciamus, Christum omnia referre ad patrem, tanquam authorem. Imò dicit, se vitam habere à patre. *Pro accepe ris. *Pro Respon deo. Ioan. 5.

ARGVMENTVM XXXI. 31.

Solum Iehouam fuisse Israëlis ducem testatur in cantico suo Moles. Hunc autem apertè Christum nominat Paulus. Dux Israëlis. Deuto. 32.

Paulus. Itaque non duos, sed vnum numero Iehouam fateamur necesse est, qui sol⁹ Dux fuisse dicatur: quamuis alia sit patris, alia magni ipsius angeli persona. Respondeo, non nouum esse in scripturis, vt, quod patri tribuatur, idem & filio: vtpote per quem patri visum sit administrare omnia. Vt enim creauit nos per filium, seruauit nos per filium: ita eduxit nos ex Aegypto per filium. Est Christo regnum à patre traditum, vt suo arbitrio cœlum, ac terram moderetur. non quòd pater sit otiosus; sed CHRISTVS nobis ponitur ob oculos, tanquam conspicua Dei inuisibilis imago. Iam si eadem essentia filii esset, quæ patris, certè filius quoque diceretur creare, redimere, & alia facere per patrem. Quod nemo vnquam dixit.

32. ARGVMENTVM XXXII.

Multa præterea afferuntur loca ex scripturis, quæ & de patre, & de filio intelliguntur. Ex quibus essentiæ patris, & filii vnitas concluditur. Verùm, quia vna est eorum solutio, non est necesse singillatim omnia excutere. 1. Ego Ioua, quo excepto nullus præterea deus est. Ego, præter quem iustus seruatorque deus non est. Hæc Deus loquitur de se Esa. 45. Atqui passim scriptura vocat Christum deum, iustum, seruatorem. Ergo eorum vna est essentia. 2. Deus Israëlitarum inquit Esaiæ 45. Mihi omne genu flectetur, & omnis lingua iurabit. Idem Paulus tribuit Christo Rom. 14. 3. Deus prænunciat, se fore in lapidem offendiculi Iudæis, Esa. 8. Idem Paulus de Christo dicit Rom. 9. 4. Ascendisti

Seruator.

Flexus genuum.

Lapis offendiculi.

scēdisti in altum. Loquitur Dauid de exaltatione Dei, Psal. 68. Paulus autem Christo accommodat Ephe. 4. Hæc, & plura alia colligunt ex scripturis testimonia, qui vnitatem essentiæ patris,& filii demonstrare nituntur. Quæ quidem testimonia Bernardinus Ochinus Italus, & Ioannes Kazanouius nostrâs singillatim & accuratè mea sententia confutarunt in suis libris. Alia etiam colloquium, anno Christi 1565 Petricouiæ habitum,elucidauit. Nos breuiores erimus. Quàm enim rectè faciant, qui ex eo, quòd aliquibus plurib.aliquid vnum attribuatur, attribui ue possit, colligunt vnitatem essentiæ illorum plurium, viderint artifices. Traduntur in arte canones,& regulæ probarum ratiocinationum. Inter quas vna est, Nihil in secunda figura syllogismorum ex vtraque propositione affirmata sequi necessariò. Quales quidem syllogismi ex iis,quæ allata sunt,confici videntur. 1. Pater est seruator,Filius est seruator. 2. Patri flectitur omne genu, Filio quoque. 3. Pater est lapis offendiculi,Filius similiter. 4. Pater ascendit in altum,Filius etiam. Ex his nec inferri licet, filium esse patrem: nec filium eandem cum patre essentiam habere. Omnes hæ argumentationes & inconsequentiæ nomine reprehenduntur,& quia id, quod causa non est,pro causa vsurpatur. Non enim vnitas essentiæ patris cum filio causa est, quamobrem multa vtriq; tribuuntur. Sed,cùm pater,in se vitam habens,filio dederit,vt ipse quoque in se vitam haberet, hoc est,vt esset deus de Deo, non est mirum dedisse eidem omnia,

Ascensus in cœlum.

quæ habeat ipſe. Nonne ſol eſt, qui & calefacit, & illuminat hunc orbem ſublunarem? Nonne radii quoq; ſolares & calefaciunt, & illuminãt? Verumtamen, quia radii à ſole oriuntur, ſequitur, eos, vt eſsentiam, ita omnia à ſole habere. Ad eundem modum de Logo dicendum eſse videtur. Qui cùm ſit filius Dei naturalis & v-
1. Ioan. 5. nigenitus, iure ſuo & deus eſt, & vita æterna, vt Ioannes loquitur. Quid igitur miri, ſi omnia ei tribuuntur, quæ tribuuntur Patri? Sed tamen pater à nemine, niſi à ſe ipſo, habet quicquid habet; filius verò, à patre. Clara ſunt teſtimonia in ſcripturis, Deo patri, tanquam authori, omnia tribuenda eſse: ab illo autem ad filium profluere. 1. De ſeruatore ſic Paulus loquitur, Tit. 3.
» Poſtquam benigniats, & humanitas extitit ſeruatoris
» noſtri Dei, non ob iuſtitię opera, quę fecerimus nos, ſed
» pro ſua miſericordia ſeruauit nos lauacro renaſcentiæ
» renouationisque ſpiritus ſancti: quo nos largè perfudit
» per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum; vt eius be-
» neficio iuſti facti, fiamus hæredes vitæ, quæ ſperatur, æ-
» ternæ. 2. De flexu genuum, Phil. 2. de Chriſto lo-
» quens, ſic inquit, Quapropter Deus eum ſummopere
» extulit, & nomine donauit omnium nominum ſum-
» mo. vt in Ieſu nomine omne ſe genu flectat cœleſti-
» um, terreſtrium, & ſubterraneorum: omnisque lingua
» confiteatur, dominum eſse Ieſum Chriſtum, ad DEI PA-
» TRIS GLORIAM. Cùm igitur Chriſtus hoc habeat ex patris donatione, cùmque hoc illi exhibeatur ad patris gloriam, minimè eſt hinc colligenda vnitas eſsentiæ.

3. De eo,

3. De eo, quòd & deus pater, & filius dicuntur lapis offendiculi, quid mirum est? Non'ne qui offendit Regis legatum alicuius, & Regem, cuius ille personam gerit, offendere putatur? Concedo igitur, & Deum, & Christum in lapidem offensionis Iudæis fuisse. Quoties enim impingebant in Christum, & in Deum impingebant, cuius legatum Christus gessit. Sic enim ipse Christus: Qui me recipit, recipit illum, qui me misit. « Matth. 10.
Qui me spernit, spernit eum, qui misit me. Qui me o- « Luc. 10.
dit, & patrem meum odit. 4. Quod quarto loco dici- « Ioan. 15.
tur, non'ne perinde est, ac si quis ad hunc modum colligat? Enoch translatus est in cœlum. Elias translatus est in cœlum. Igitur Enoch, & Elias sunt vnius essentiæ. Quid ineptius huiusmodi collectione? Similiter de omnibus aliis dicendum videtur, quæ & patri, & filio tribuuntur, non certè propter essentiæ vnitatem: sed quia pater per filium cuncta regit, & administrat. Fallaces sunt igitur conclusiones ex huiusmodi præmissis deductæ in forma peccantibus. At dices, hæc à Dialecticis sumi, non autem à theologis. Audio. Est enim Dialectica instrumentũ veritatis inquirendæ. Verissimè mihi videor dicturus esse, vnumquenque, ignoratione Dialecticæ falli & errare maximè: nihilq; verè & constanter concludi posse, nisi syllogismi veritate & constantia, quem docet Dialectica. Cognoscenda est, veritatem indaganti, propositio, quæ rei, de qua sermo est, summam contineat. Cognoscendæ partes (extrema vocant) eius propositionis, quarum altera dicitur de

altera, affirmando, negandoue. Cognoscendum argumentum, ex cuius connexione cum partibus, aut disiunctione, efficitur conclusio, vel affirmata, vel negata. Cognoscendæ normæ, & regulæ, secundum quas connexiones faciendæ sunt. Hæc in arte docentur. Ab his si conclusio aberret, quid aliud est tota cõbinatio, quàm scopæ dissolutæ, vt aiunt? Parciùs de his dicerem, si in hac arte progressus magnos feciſsẽ: ne de arte loquens, de me loqui viderer. Verùm, quantulumcunq; id est, quod assecutus sum, laboris me minimè pœnitet. Doleoque, me vel ingenii tarditate, vel aliis causis impeditum longiùs progredi non potuisse. Hæc obiter dicta sint. ad reliqua redeamus.

33. ARGVMENTVM XXXIII.

Miracula. Christus suam cum patre consubstantialitatem probat
1. Ioan. 5. » ex miraculis, quæ faciebat. Credite mihi, quòd ego in
» patre sum, & pater in me. Sin minùs; propter ipsa facta
» credite mihi. Respondeo, Non tantùm Christus, sed apostoli quoq;, & alii viri sancti miracula edebãt, quæ potentiam naturæ superabant. nemo tamen, illorum erat Deus. Nicodemus, qui ad Christum venerat no-
Ioan. 3. » ctu, his verbis eum compellauit. Rabi scimus, te à Deo
» venisse magistrum. nemo enim hæc signa facere potest,
» quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo. Vocat Nicodemus Christum magistrum, & quidem à Deo missum. Ex miraculis ab eo editis arguit, cum eo Deum esse; sed non dicit, ipsum esse Deum. Tot & tanta tamque varia sunt miracula à Christo edita, vt ea humanitati

nullo

nullo modo tribui posſint. cœcis viſum, ſurdis auditum largiebatur. omne genus morborum ſanabat. mortuis vitam reſtituebat. faciebat id aliàs ſolo verbo & nutu: aliàs patre inuocando: nonnunquam inſtrumento aliquo adhibito, vt luto ad cœcitatem tollendã. Quod quidem inſtrumentum etſi huic rei minimè conueniebat: tamen ei, qui nullis inſtrumentis indigebat, quodlibet inſtrumentum ſatis aptum eſt ad quiduis peragendum. Alios ſanabat manu impoſita: alios tactu veſtis ſuæ: alios ſolo iuſſu; nec præſentes tantùm, ſed & abſentes. Siccis pedibus ambulabat ſuper aquas. ventis imperabat, & mari. Stupenda hæc erant, & omnino ſupra naturam. Hæc videbant apoſtoli, cernebant turbæ, admirabantur Iudæi, nationes remotæ audiebant. Quotus autem quiſque erat, qui, his ſecum reputandis, adduci poſſet, vt hunc talium & tantarum rerum affectorem cenſeret Deum eſſe? Vulgus Iudæorum alii vocabant Dominum, alii Magiſtrum, alii Prophetam magnum. Luc. 7. Propheta magnus ſurrexit inter nos. Quidam magis magnitudinem miraculorum perpendentes, à Deo cum veniſſe, & cum eo Deum eſſe, aſſeuerabant. Nonnulli filium Dei dixerunt. quem quidem titulum ipſe Chriſtus ſibi vſurpabat. Thomas apoſtolorum vnus vocat eum dominum ſuum, & deum ſuum: Paulus, tum deum, tum magnum deum: Ioannes, verum deum. Iudæi, cùm multa viderent & audirent, quæ Chriſtus geſſiſſet, dixiſſet ue, indignè ferebant, quòd patrem ſuum dixiſſet Deum, æqualem ſe Deo faciens. Etſi autem verè

Ioan. 9.

Ioan. 20. Rom. 9. Tit. 3. 1. Ioan. 5.

tem verè Iudæi dicebant, Christum vocasse Deum, patrem suum, hoc est proprium & peculiarem: Sic enim
Ioan. 8. „ ille ad eos: Quem vos dicitis Deum vestrum esse, pater
„ meus est: Tamen quod addebant, illum se facere parem Deo, per calumniam dicebant; vt occasionem haberent trucidandi illum. Nunquam enim Christus æqualitatem cum Deo sibi vendicauit: multò minus consubstantialitatem. Nemo est, quod sciam, nec euangelistarum, nec apostolorũ, qui eius rei vllam fecerit mentionem.

34. ARGVMENTVM XXXIIII.

At dicet quis, tot literis & syllabis neminem id dixisse: dixisse tamen aliquem verbis tantundem valentibus: idq; ex verbis scripturæ euidentibus colligi posse. Audio. Quæ igitur hæc est collectio? Cùm enim, inquiunt, pater sit deus, filius quoque deus: nec plures dii esse possint: sequitur, vt filius cum patre vnus sit deus: & vnus quidem essentia, licèt personæ sint distinctæ. Hæc collectio ab omnibus ferè in hac disputatione vsurpatur. Cùm enim consubstantialitas in sanctis scripturis verbis disertis nullibi expressa sit: locaque ex quibus elici solet, multis cauillis obnoxia sint: ad hãc collectionem tanquam extremum subsidium ab omnibus recurritur. Verùm mihi, qui non tantùm interpretis, sed etiam iudicis personam suscepi, diligentiùs in hanc collectionem inquirendum est. Cuius quidem vis in hoc, ni fallor, syllogismo conspici posse videtur.

Qui

Qui deus est, est vnus essentialiter cum deo patre.
Filius Dei deus est.

Igitur filius Dei est vnus essentialiter cũ deo patre. De quo quidem syllogismo quid sentiendum sit, videamus. Certè maior propositio, vt ponitur, facilè repellitur verbis Psalmi, quæ à Christo citantur, Ego dixi dii « Psalm. 81.
estis. Dicit Deus, deos esse, qui gerunt magistratus; Ioan. 10.
quos tamen constat non eosdem esse essentialiter cum deo patre. Quòd si in maiore addas NATVRA, vt sit hæc propositio, Qui deus est natura seu essentia, &c. sumetur pro concesso id, quod probandum est. non enim filius Dei est natura deus, sed participatione & communicatione deitatis à deo patre.

Dicet adhuc aliquis, Christum ad hunc modum nihil præter pios homines, & eos, qui sunt in magistratu, habere, qui & ipsi participatione donorum sibi concessorum dicuntur dii. Responsio facilis est. Est enim Christus infinitè excellentiùs deus, quàm vlla creatura. Data est illi potestas omnis in cœlo, & in terra. Donatum Matth. 28.
est illi nomen supra omne nomen: in quo omne genu Phil. 2.
flectatur cœlestium, terrestrium, inferorum. Pater illi Ioan. 5.
omne iudicium dedit, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Et aliis quidem spiritus da- Ioan. 3.
tus est ad mensuram, Christo non ad mensuram. In ip- Colos. 2.
so enim inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Quamuis itaq; Christus beneficio non natura sit deus; tamen apostolorum perfectionem longissimè superauit; quorum mentem, & animum aperuit spiritu suo: Ioan. 20.

quos

quos intrinsecus illustrauit, inflammauit, regenerauit. Apostoli autē, Christi erant ministri: & quidem Christo in eis loquente; vt inquit Paulus· An experimentū eius quæritis, qui in me loquitur, Christi? Ad hæc apostoli baptizabant aqua: Christus spiritu sancto. Quod Ioannes Baptista testatur, de se loquendo, Ioan. 1. Paulus quoque, reprehendens Corinthios, qui baptismum suum iactarent, Nunquid, inquit, in Pauli nomine baptizati estis? nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Quasi dicat, de solo Christo licet gloriari, qui pro vobis sit crucifixus. Hinc apparet, quantùm Christus excellat omnes apostolos.

2. Cor. 3.

2. Cor. 1.

CAPVT VI.

Argumentatio insolubilis, qua vnitas essentiæ patris, & filii concluditur.

Hucusq; argumenta præcipua Christi tum diuinitatis, tum cōsubstantialitatis cum patre attulimus: & quomodo ea refutari possint, ostendimus. Patres quidem sancti cùm vtramq; constanter affirmarent: nec viderent tamen iusta reprehensione carere, quę ex bibliis depromerentur; ratione vsi sunt, qua consubstantialitatem eiusmodi firmiter concluderent. Neque tamen eiusmodi ratiocinatio hominum commentis niti, sed ex scripturis sanctis sumpta videtur. Ea est ferè talis, Omnes, qui logon agnoscunt esse filium Dei, separant eum & ab hominibus piis, & ab iis, qui gerunt magistratus. Nam etsi homines pii & filii Dei dicuntur, & sunt ex Deo nati: illi quoque, ad quos sermo Dei factus est, dii appel-

dii appellantur: *Verùm & illi per adoptionem gratuitam, & isti magistratus causa sic appellantur. At logos singulari ratione à patre nascitur. Naturâ igitur, non adoptione, nec muneris causa, quo fungitur, filius appellatur. Sic igitur Patres collectionem formant, Cùm omnis filius nascatur de patre: logos autem filius sit Dei: nascitur igitur de Deo. atque ita de nihilo non est. Creari enim potiùs diceretur, quàm nasci. Est enim creatio de nihilo; quod generationi non cõpetit. Iam si nascitur ex substantia aliqua, vel illa Dei est, vel aliqua alia. Non secundum; hæc enim nulla demonstrari potest. Est igitur ex substantia patris. Ita confectum est, logon naturâ à patre genitum esse: quemadmodum naturales filii à patribus suis nascuntur. Iam si filius ex substantia patris est, vel ex tota, vel ex parte eius. Non secundum; quia substantia Dei, cùm sit simplicissima, nullo modo diuidi: cùm perfectissima, nec augeri, nec minui potest. Ex tota igitur substantia patris natus est filius. Quod si ita est, aut pater ita dedit substantiam filio, vt ipse eam amiserit, vel retinet eandem. Non primum; nam amissa dei substantia seu essentia (nam hîc vtrunque pro eodem vsurpamus) deus esse desineret. Retinet igitur pater substantiam totam, quam dedit filio. Eadem igitur substantia est patris, & filii. Rectè igitur logos dicitur filius Dei, & deus, & consubstantialis patri. Vna igitur eorum substantia est, vna potestas, vna maiestas. Non igitur multi dii sunt; sed vnus deus est substantiâ, licèt tres personas habeat. Hęc est collectio,

* Pro Tamen

quam Ariani diſsoluere non poſsunt. qui tamen loca, quæ pro vnitate eſsentiæ ſolent adduci, facilè eludunt.

CAPVT VII.

Continet obiectiones contra vnitatem eſsentiæ, & explicationes de naturæ, & perſonæ in diuinis diſtinctione.

Hinc autem exiſtunt quæſtiones duæ longè difficilimæ. Prior eſt, Si eadē numero eſt eſsentia omnium perſonarum, quomodo, illa vna exiſtente, iſtæ ſint tres? An trium per ſe ſubſiſtentium eſt vna eſsentia ſeu exiſtentia? an potiùs, illis multiplicatis, hanc multiplicari oporteat? Scitum eſt illud Dialecticorum, Quæ ſunt eadem vni tertio, ea inter ſe eadem eſse. Cùm igitur perſonæ diuinæ ſint eſsentiæ eædem (vt quidem omnes perhibent, ne compoſitionem aliquam admittere cogantur) inter ſe quoque ſint eædem, neceſse eſt. Aut igitur, multiplicatis perſonis, eſsentia multiplicatur: aut eſsentię vnitate retenta, & perſonæ vnitatē retineri oportet. Altera quæſtio eſt, Si patris, & filii eadem numero eſsentia eſt, quomodo, filio incarnato, non & patrem incarnari oportet? Cùm enim eadem numero vtriuſque eſsentia ſit; profectò filii eſsentia incarnari nequit, niſi & patris eſsentia incarnetur. Quòd ſi patris eſsentia eadem eſt cum patris perſona (vt quidem vnam eſse, iam dictum eſt) eſsentia patris incarnata, perſonam patris incarnari concedi oportet. Quod de incarnatione dictum eſt, idem de aliis actionibus, quæ Chriſto tribuuntur, dici neceſse eſt. Itaque & pater in

terras

terras missus est, & esuriit, & calamitates, mortemque ipsam perpessus est, & resurrexit, & in cœlum ascendit. Hæc enim secũ affert essentia, quæ vna sit patri cũ filio.

Respondent magistri scholarum ad has quæstiones. Ad priorem dicunt, personarum vnitatem ex essentiæ vnitate concludi aliam non posse, quàm essentialem: cum quidem personæ, de quibus loquimur, non cum aliqua persona sint eædem, sed cum essentia. Sic illi. Verùm mihi non tantùm essentialis, sed & realis concludi posse videtur; hoc modo. Qualis est identitas duorum cum tertio, talis est eorum inter se. Cùm igitur personæ sint eædem realiter cum essentia, & inter se sint eædem realiter, oportet. Et quidem sententiam illam de duorum vnitate ex vnitate eorum cum tertio tanti faciunt magistri scholarum omnium, vt, ea conuulsa, omnium syllogismorum fundamentum ruere necesse esset. Si igitur ad hanc rationem exigenda sunt omnia, quæ diximus: profectò aut cum vna essentia in diuinis, est vna persona: aut cum tribus personis, sunt tres essentiæ. Ita prior quæstio manet insoluta. Altera quæstio eodem nititur fundamento. quam vt dissoluant, magistri multa effugia excogitarunt. sed, quàm illa sint congruentia, videamus. Thomas dicit, personam diuinam, nempe filium Dei, primo & propriissimè assumpsisse naturam humanam. Secundariò autem naturam quoque, hoc est essentiam diuinam, assumpsisse eandem naturam humanam ad sui personam. Ita Thomas putat, se effugere incommodum hoc de essentia

Tho. 3. q 3. d. 2.

Duran. sen. 3. d. 1. q. 2. c. 1

trium personarum communi. Durandus contrarium opinatur, Ad vnionem personalem naturæ humanæ cum diuina persona, præexigi vnionem eiusdem naturæ cum essentia diuina. Itaque Durandus duas vniones constituere videtur : alteram naturæ humanæ ad essentiam, alteram ad personam diuinam : & quidem illam priorem, istam posteriorem: contrà quàm Thomas sentiat, vt ostendimus. Et quamuis Durandus dicat, in priore vnione non consummari assumptionem, sed in vltériore, quæ est cum proprietate relatiua, quæ sit propria personæ filii : Tamen hoc clarè affirmat, priorem vnionem esse cum essentia diuina.

Scot. sen. 3. d. 1. q. 5. c.

Scotus dicit, essentiam non esse formalem rationem terminandi istam vnionem: sed proprietatem personalem. Ita ab essentia, quæ communis est trium, excludit vnionem Scotus.

Ockan sen. 3. q. 1.

Ockan, vt vitet incommoda, quæ in vtranque partem afferuntur, affirmat, rationem terminandi vnionem naturæ humanæ, quæ assumpta est, esse totam personam verbi; nec essentiam per se, nec proprietatem per se: sed totum constitutum. Sic illi. Hæc verò omnia an congruunt inter se? Scotus omnino excludit essentiam à termino formali vnionis. Thomas essentiam admittit: sed secundariò. Personæ enim primas tribuit in hac vnione. Durandus contrarius est Thomæ, essentiæ primas, personæ secundas tribuendo. Ockan vtrique contradicit, totum constitutum ex essentia & proprietate relatiua pro termino vnionis statuendo. Vnusquisque eorum afferunt pro se & rationes, & authoritates veterum

tates veterum Patrum. Quæ autem causa tantæ dissensionis? Non ausim omnino contradicendi cupiditatem, aut gloriæ studium eis impingere. sed cùm argumentis multorum contrariis, multis quidem illis, & difficultatum plenis, satisfacere vellent, quisque pro se excogitauit ea, quibus obsistere posset aduersariis. Verumtamen & illa eorum dogmata exposita sunt multis & variis incommodis. quæ vt repellant, distinctiones varias commenti sunt. Natura, inquit Thomas, dicitur incarnata, sicut & assumpta ratione personæ, ad quam terminata est vnio: non autem prout communis est tribus personis. Quid autem sibi volunt hæc tua verba, o Thoma? Non ne essentiam facis duplicem in diuinis? alteram alicui personæ propriam, alteram communem omnibus; & illam quidem incarnatam esse, vt est in filio, istam minimè. Quòd si hæc non est sententia verborum tuorum: profectò rem omnem ad considerationem intellectus referre videris. vt essentia vno modo considerata incarnetur; alio autem modo, non incarnetur. Quid autem absurdius, quàm ex varia intellectus consideratione alicuius rei vnius, varia illi prædicata attribuere: & quidem realia, aut certè alterutrum reale? Facit hoc alio in loco Thomas, nodum hunc explicans modis significandi diuersis. Licèt, inquit, in Deo non sit aliud secundum rem natura, & persona: differt tamen secundum modum significandi. Quia persona significat per modum subsistentis, &c. Et alibi, Deus, inquit, est formaliter deus per suam essentiam. Proprie-

Thom. 3. q. 3. a. 4. ad. 2.

Tho. 3. q. 2. a. 2. ad 1.

Tho. Quodlibet a. 1.

» tas autem personalis est quasi forma constituens perso-
» nam;& differt ab essentia secũdum modum intelligen
» di,& significandi.Hæc ille.Quid autem hoc rei? Quæ-
stio agitatur de rebus,hoc est de incarnatione:cur per-
sona verbi assumpserit naturam humanam, non natura
seu essentia.Huius ratio non alia ostenditur, quàm di-
uersitas modorum tum intelligendi, tum significandi.
Quasi verò ex intellectione,aut vocũ significatione,de
rebus aliquid statui possit. Atqui intellectus & voces
accommodandæ sunt rebus:& non res trahendæ ad vo
Tho.1 q.39. 4. ces,aut intelligẽdi rationem. Idem Thomas alibi con-
1.6. » fugit ad distinctionem rationis.Relatio,inquit,in diui-
» nis ad essentiam comparata,non differt re ab ea,sed ra-
» tione tantùm.ad oppositam autem relationem compa-
» rata, habet distinctionem realem: & hoc vi oppositio-
» nis relatiuæ realis.Ergo & persona,quę est idem, quod
» relatio subsistens in diuina natura,est idem realiter cum
» essentia.licèt ab alia persona distincta realiter. Hæc il-
le. Omnino verba Thomæ omnia,quæ hucusque attu-
limus, distinctionem relationis comminiscuntur inter
personam,& naturam in diuinis.Nam & ratio conside-
randi rem eandem, diuersa;& modi significandi vo-
cum, diuersi;& omnia à sola ratione profecta,nihil po-
nunt in re: sed ex varia intellectus consideratione na-
scuntur. Quæ quidem consideratio diuersa nullo mo-
do tanti est, vt per eam diuersa prædicata realia conue-
nire possint vni rei. Laborauit doctor sanctus(libenter
enim hoc epitheton ei tribuimus propter excellentem
eruditi-

eruditionem. verùm præiudicatis opinionibus premebatur, vt iudicium suum adhibere non auderet) explicanda differentia inter naturam,& personam. vt ostendere posset, compositioni locum nullum esse in diuinis: & personas multiplicari, natura vnica manente: & hanc, vt in filio est, incarnari, illa, quæ in patre quoque, & spiritu sancto perinde est, minimè incarnata. Quòd si differentia alia non est, nisi ea, quæ sit à ratione profecta, omnino prædicata, quæ tum naturæ, tum personę attribuuntur, rationis sint oportet, non rei. Itaque & personæ sunt à ratione & consideratione intellectus: & incarnatio personæ vnius sine alia, est inuentum rationis, non status rerum. Scoto itaque videtur absurdum inter naturam,& personam rationis tantùm distinctionem constituere. Secluso, inquit, omni actu intellectus, pater habet in se formalitatem communicabilem, & entitatem incommunicabilem. Ergo habet in se res diuersarum rationum formalium. Ergo ibi est distinctio maior, quàm rationis. Et hæc quidem est sententia Scoti. Qui tamen non audet dicere, naturam,& personam distincta esse. sed dicit, non esse idem. Melius est, inquit, ista negatiua vti, hoc non est formaliter idem, quàm hoc est sic, vel sic distinctum. Multa arguatur de identitate,& distinctione; quæ apud eum legi licet. Illud quidem verè videor posse dicere; vbi plura sunt in aliquo vno supposito, quæ idem non sint, ibi vitari non potest, quin sit compositio aliqua. Quam tamen vitare conantur Magistri isti in personis diuinis, in quibus

Scot. sent. 1. d. 2. q. 4.

in quibus summam simplicitatem contendunt esse debere. Durandus ait, potiùs dicendum esse, inter personam, & naturam esse distinctionem ex natura rei, vel realem. Hoc si ita est, quomodo summa simplicitas Dei stabit cum iis, quæ rerum naturis differunt? Fingant isti quicquid velint: constituant, seu non identitates, seu distinctiones quaslibet; hoc tamen nunquam vitabunt, quin, vbi plura sunt vnam rem efficientia, non quidem aggregatione sola, vt in cumulo lapidum, aut inhærentia vnius cum alio, vt est in subiecto, & eius accidente, sed connexione, & vnione, ibi cogantur concedere aliquam esse compositionem. Omnes fatentur, essentiam diuinam in se esse indiuisam, & indistinctam: personas verò, & personales notiones, quæ sunt paternitas, filiatio, & processio, inter se distinctas esse, & quidem realiter. Quòd si essentia cum paternitate constituunt patrem, quomodo non etiam component? Solet & illud dilemma in hac disputatione proponi, Si vna persona distinguitur realiter ab alia, aut distinguitur se tota, aut non se tota. Si se tota; igitur, vt relatione, ita & essentiâ. atque ita vnà cum alia non erit idem essentiâ. Si non se tota; igitur per aliquid sui est distincta, & per aliquid sui est eadem alteri. atque ita in persona sunt duo dualitate in re. Est igitur & compositio. At vbi compositio est, ibi & partes sunt; quarum altera habeat se, quasi materia, vel quasi potentia: altera, vt actus. Quòd si Thomæ sententia placet, hanc distinctionem esse rationis: profectò & attributa rationis essent, quæ tum naturæ, tum perso-

Durand. sent. 1. d. 2. q. 4. ad 2.

tum personæ competerent, non rerum. Alibi affirmat Thomas, naturam esse incarnatam. Tota, inquit, natura diuina dicitur esse incarnata; non quia sit incarnata in omnibus personis: sed quia nihil deest de perfectione diuinæ naturæ personæ incarnatæ. Sic ille. Quid autem explicatiùs dicere potuit? Ita enim mihi dicere de tota natura diuina videtur, quemadmodum, si quis totam naturam humanam à filio Dei assumptam diceret; non quòd sit assumpta omnium humanarum personarum: sed quia nihil deest de perfectione naturæ assumptæ. Si igitur natura diuina non in omnibus personis est incarnata, sed in solius filii persona: aliam igitur in filio, aliam in patre, & spiritu sancto esse oportet; quandoquidem incarnatio illius est, non istorum. Neque igitur essentia diuina, nec deitas ipsa eadem est patris, filii, & spiritus sancti. Certè in Christi schola docemur, solum filium Dei, qui antea logos, & deus de deo erat, nunc etiam hominem esse: Verbum enim caro factum est: & ideo filium hominis seu homine natum appellari, omnes, qui norunt Christum, fatentur. Patri autem hoc, aut spiritui nemo attribuit. Primariæ autem illæ, & secundariæ vniones, quarum Thomam mentionem facere, iam ostẽdimus, nullo modo essentiam diuinam à coniunctione cum humanitate vindicarent, vel primaria, vel certè secundaria. Difficile igitur ac potiùs impossibile fuerit, vnitatem numeralem essentiæ, seu naturæ diuinæ, seu deitatis (hæc enim idem esse, suprà ostendimus) tribuere patri, & filio, & spiritui sancto,

« Tho 3. q. 3. a. 4. ad 2.

m quin,

quin, vno incarnato, reliqui etiam incarnentur. Sin incarnatio vni horum tribuatur, aliis minimè: an non sequitur necesariò, eorum esentias diuersas esse, quemadmodum personæ diuersæ sunt?

TRACTATVS SECVNDVS DE TRIBVS PERSONIS, ET TRIbus esentiis Dei.

CAPVT I. TRANSITIONEM CONTINET.

QVoniam autem tuo monitu, Rex, hanc scribendi prouinciam suscepimus, placet deinceps ob partium concordiam, ad quam me singulariter hortatus es, hanc ipsam tueri sententiam, in quã superior fluens oratio perduxit me, & ad quam priùsquàm peruenirem, multi à me labores exantlati sunt. Nauigaui, quasi in mari fluctuoso, inter scopulos immanes. Quibus superatis, in hunc portum magno quodam impetu inuectus sum. In quo tamen quiescere, animus non est. Conscendenda est denuo nauicula, si fortè deinceps secunda nauigatione deferamur, vbi conquiescamus. Equidem voluenti mihi cum animo meo monitum tuum, permirum videri solet, quid tibi Regi in mentem venerit, vt me ad rem longè maximam hortareris. Primùm alieno tempore abs te factum fuisse

fuisse videtur, cùm domesticis Reip. muneribus defunctus, in bellico apparatu occupatus esses: ac totos dies cum præfectis rerum militarium consumeres. Deinde, * cùm tibi hominum & optimorum & doctissimorum copia esset: tamen me quoque, qui cum illis nulla re comparandus sim, ad id hortareris, quod esset maximum, & maximè necessarium. Subita mihi omnino visa est tua mei ad tantam rem admonitio. Quòd si cor Regis, vt inquit sapiens, in manu Dei est, vt quocunque velit, inclinet illud: non dubito, hanc tibi mentem nutu numinis iniectam fuisse, vt me commonefaceres. Quantùm igitur facultas nostra tulit, vocabulis, quæ in hac disputatione versantur, explicatis, sententia de trinitate vnius essentiæ ex scripturis demonstrata: deinde quæstionibus, quæ & ipsæ multùm disputantur, ad mentem eorum, qui eas tractant, dissolutis, earumque vitiis ostensis, & quæ in vtranque partem dici possint, expositis: restat postrema pars nostræ tractationis. Multa autem ex scholasticorum magistrorum sententia explicare libuit; quòd illi, veterum sententiis citatis, eas ad dialecticam amussim examinarunt. Si qua etiam à veteribus parum propriè scripta sunt, ea annotarunt. Missis igitur in præsentia flexuosis, angustis, & obliquis itineribus, ingrediamur viam regiam, quæ nostratibus est in prouerbio, & patentem; si fortè illa nos ducat ad veritatem simplicem, Christianis maximè congruentem, sine vllis perplexitatibus: & in eius ipsius veritatis * possessionem firmam & stabilem nos ponat, atque collocet.

* *videtur desiderari* quòd.

Prou. 21.

* *Accusatiuus casus pro Ablatiuo.*

collocet. Omittamus autem scriptores alios. Verba Christi, & apostolorum eius in primis cognoscamus; à quibus veritatẽ maximè patefactam esse, certissimum est. Testimoniis tamen enarratorum adhibitis: sed parcè,& non nisi necessariò. Ipse Christus patrem pro suis
Ioan. 17. orat, vt eos sanctificet in veritate: illius sermonem veritatem esse. Deum igitur oremus per Iesum Christum filium ipsius,det nobis spiritum intelligentiæ,vt cognoscamus sermones suos, ac veritatem suam, in qua iucundissimè acquiescamus.

CAPVT II.

Sententia de personis diuinis, earumque essentiis diuersis.

QVoniam igitur sententiam explicauimus pro nostra virili de tribus personis diuinis vnius essentiæ: tentemus aliam explicare, quæ statuit, vt personas, ita essentias diuinas distinctas esse: Dicamusque clarè & expressè,Patrem,filium,& spiritum sanctum, vt personis,hoc est subsistentiis, realiter distincti sunt, ita in vnam essentiam nullo modo confundendos esse. Sumam' autem initium sermonis nostri à verbis filii Dei, cùm rediuiuus Mariam Magdalenam ad fratres suos le-
Ioan. 20. „ gat cum his mandatis· Vade ad fratres meos. & dic eis,
„ Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, deum
„ meum & deum vestrum. Quem vocat Christus patrem suum,eundem dicit deum suum: eundem quoque & patrem, & deum fratrum suorum. Videtur Christus solum patrem deum appellare, quem & suum deum vocat.

vocat. Nusquam hoc nec scriptum est, nec auditum, vt pater habeat aliquem deum, quemadmodum filius se deum fatetur habere & his verbis, quæ diximus, & illis, Deus meus, Deus meus, cur me dereliquisti? Ac ne « Matt. 27. 46.
hoc quidem vel literis, vel vlla voce proditum, vt pater vocet se alicuius dei patrem, quemadmodum filius se filium Dei vocat. Immo ne hoc quidem scriptum, Ioan. 10.
aut auditum, vt filius ipse se vocet, deum quemadmodum pater se vocat deum. vt cùm, legem positurus, «
sic præfatur. Ego sum dominus deus tuus, qui te eduxi « Exo. 20.
de terra Aegypti. ne habeas deos alienos coram me. «
Quem Moses secutus, sic loquitur· Audi Israël, domi- « Deu. 6.
nus deus noster dominus vnus est. Apud Esaiam quo- « Esa. 44.
que sic Deus loquitur· Ego sum primus, & ego sum no- «
uissimus. & absque me non est deus. Et, Ego sum de- «
us, & nullus vltra deus. nec est similis mihi. Hæc ver- «
ba nec filio, nec spiritui sancto competunt, quoniam o-
riginem habent, ex qua alter nascitur, alter procedit.
sed patris hæc verba sunt, qui sit fons, & origo filii, &
spiritus sancti. Filius autem, quoties se patri associat, il
lum quidem deũ vocat: se autem, aut filium Dei, aut Dei
legatum. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium su «
um vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non «
pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 17. Hæc est «
vita æterna, vt cognoscant te solum deum, & quem «
misisti Iesum Christum. Si appellatione dei Christus
se quoque intelligit, cur non se includit, mentione dei
facta: sed discretè loquitur de se? Patrem appellat so-

lum verum deum: se autem illius legatum. Quod quidem & in scriptis apostolicis non infrequens est. Rom. » vlt. Soli sapienti Deo per Iesum Christum gloria in » sempiternum, Amen. Et. 1. Tim. 6. Edico tibi in con- » spectu Dei vitam dantis omnibus, itemque Iesu Chri- » sti, qui coram Pontio Pilato præclara illa confessione » verum testatus est, vt præceptionem serues intemera- » tus & irreprehensibilis vsque ad aduentum domini no- » stri Iesu Christi. Quem aduentum suis temporib. exhi- » bebit beatus ille solusque potens regnantium REX » & dominantium dominus: solus habens immortalita- » tem: quem hominum nullus neque vidit, neque videre » potest. Manifestè hîc Deus seorsim, seorsim Christus nominatur; vbi & solus Deus immortalis dicitur. non quin filius sit immortalis. sed sicut pater est fons deitatis: ita & immortalitatis. Aug. lib. 1. de Trint. cap. 6. torquet hunc locum ad vnum & solum deum, quod est ipsa Trinitas; vt ipse loquitur. verùm mea sententia, nimis coactè. Videmus enim, à Paulo sæpe patrem nominari deum: filium, tantùm dominum. neque tamen quisquam offenditur hac consuetudine mystici sermonis. Quam consuetudinem obseruans Ambrosius, dicit, patrem solum vocari immortalem, quòd sit fons omnis immortalitatis. Hæc scribit in verba Pauli 1. Tim. » 1. Quæ sic se habent, Regi autem seculorum immorta- » li & inuisibili, soli sapienti Deo, honor, & gloria in se- » cula seculorum. Pertinent hæc, Ambrosio authore, ad patris personam. quem immortalem ideo solum ait appellari,

pellari, quòdomnis immortalitas ab ipso est. Et quemadmodum Christus dicit, neminem bonum esse, nisi Deum; non quin alii quoq; boni dicantur: nam idem Christus dicit, bonum hominem de bono thesauro bona proferre: sed quia Deus est fons bonitatis, ex quo cæteri potantur, vt sint boni; ita solus pater dicitur sapiens, quòd sit fons sapientiæ: solus immortalis, quòd sit fons omnis immortalitatis. rectè etiam dicitur solus deus: à quo filius habet, vt sit deus: à quo & spiritus sanctus. Sunt autem loca clarissima in scriptis apostolicis, quibus solus pater deus esse dicatur: filius etiam seorsim nominetur; idque vel absolutè, vel addito epitheto. 1. Cor. 15. cùm loquitur Paulus de Christo, qui sit omnes viuificaturus, & de fine rerum, Finis, inquit, erit, « cùm Christus regnum tradiderit DEO & PATRI. Col. 1. « Gratias agimus DEO & PATRI domini nostri Iesu « Christi. Eph. 4. Vnus DEVS & PATER omnium, qui « super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. 1. « Thess. 1. Gratias agimus Deo pro vobis, memores ve- « stri propter opus fidei vestræ, & quòd permansistis in « spe domini nostri Iesu Christi ante DEVM & PATREM « nostrum. Non ne vocabulum Dei per vocabulum patris explicando, hæc synonima indicare videtur: præsertim cùm, patris mentione facta, fiat deinde mentio singularis, filii? Sic enim Paulus paulò post illa verba, quæ proximè citauimus. Conuersi estis ad Deum à simulachris, vt seruiretis deo viuo & vero, & expectaretis filium eius de cœlo, quem suscitauit ex mortuis, Ie- « sum, Matth. 5. 2. 35.

» sum, qui eripuit nos ab ira æterna. Addamus & alia te-
stimonia, vbi separatim nominatur Deus: separatim, fi-
» lius Dei. Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos?
» qui etiam proprio filio non pepercit: sed pro nobis om-
» nibus tradidit illum. 1. Tim. 1. Paulus apostolus Iesu
» Christi secundum delegationem Dei seruatoris no-
» stri, & Iesu Christi spei nostræ. His verbis salutis autho
rem facit Deum, filium spem appellat. 1. Ioan. 5. Sci-
» mus, quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum,
» vt cognoscamus verum Deum & simus ex vero filio
» Dei. Hic est verus deus, & vita æterna. Hęc loca & sex-
centa alia clarè ostendunt distinctè nominari Deum à
filio Dei; non quin filius sit deus: sed vt ostendant, pa-
trem ex se deum esse: filium esse deum ex Deo, hoc est
à patre, à quo vitam habet; quemadmodum ipse dicit
» Ioan. 5. Sicut pater vitam habet in se: ita filio dedit vi-
» tam habere in se. Intelligitur autem vitæ nomine, vt in
terpretatur Hilarius, natura & essentia. Verba Hilarii
» sunt hæc, In vita significatio est naturæ & essentiæ. quæ
» sicut habetur, ita data esse docetur ad habendū. Quod
» enim in vtroque vita est, id in vtroq; significatur essen-
» tia. Et vita, quæ gignitur, est vita; id est essentia, quæ de
» essentia nascitur: dum non dissimilis nascitur. scilicet,
» quia vita ex vita est, tenet in se originis suæ indissimi-
» lem naturam. Hæc Hilarius in libro de Synodis; quem-
admodum refert diuus Thomas in Cathena aurea. Di-
cit autem Hilarius expressè, essentiam nasci de essentia:
non, vt scholastici loquuntur, relationem de relatione.

Item,

Item, repetitis Christi verbis (Quæcunque facit pater, « Ioan. 5.
eadem & filius facit similiter) Sed, inquit, similitudini
virtutis naturæ similitudo succedit: cùm dicit, Sicut e- « Ioan. 5.
nim pater habet vitam in se ipso, ita, &c. Dicit similitu- «
dinem naturę, non vnitatem. Addamus alia Christi ver
ba, quibus se nominat seorsim: seque omnia à patre ha-
bere affirmat. Creditis in deum; & in me credite, in- «
quit ille idem filius Dei Ioan. 14. Cur se non iungit in
societatem nominis Dei: sed ita loquitur, quasi Deus a-
lius sit: & ipse, qui loquitur, alius à Deo sit? Et quæ cau
sa alia est, nisi quia conferre se cum deo patre non vult?
memor vtique Deum ex semetipso esse: à nemine geni
tum esse; se autem ex patre esse, & vitam suam, & omnia,
quæ habet, ab illo se habere. Hoc enim est, quod dicit,
se à patre exiuisse: se à Deo missum esse: se ab illo vitam
habere: illum in se manentem facere opera. Ioan. 17.
Pater, inquit, glorifica filium tuum, vt filius tuus glo- «
rificet te. sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Et «
paulò infra, Glorifica, inquit, tu me pater apud temetip «
sum ea gloria, quã habui apud te priùs, quàm hic mun- «
dus existeret. Manifestaui nomen tuũ hominibus, quos «
dedisti mihi de mundo. Tui erant; & mihi eos dedisti. «
& sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, «
quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt. & cognoue- «
runt, quia à te exiui, & quia tu me misisti. Mea omnia «
tua sunt; & tua, mea sunt. Et antea sic loquutus est, Ioa. «
14. Verba, quę ego loquor vobis, à me ipso nõ loquor. «
Pater autem, in me manens, ipse facit opera. Cur non «

dicit, diuinitatem aut essentiam diuinam in se manentem operari: sed cui vitam acceptam refert, eidem & opera? Ideo subdit, Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Et Ioan. 15. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego præcepta patris mei seruaui. Et infrà, Omnia quęcunque audiui à patre meo, annunciaui vobis. Et Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam; & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatũ accepi à patre meo. Nonne apertè Christus testatur, vitam suam, & sua omnia à patre se habere: ab illo se exiuisse, & missum esse: illius se mandata exequi: illius iussa & narrare hominibus, & obire: illum se prædicare, colere, adorare: aliisque colendum & orandum proponere: formula etiam precandi proposita, Pater noster, qui es in cœlis? Quid igitur, an non inde consequens est, deum patrem ἀντόθεον, filium de Deo esse deum? Etsi autem sunt, qui multa, quæ citauimus, ad Christi humanam naturam referri volunt, non ad diuinam: verumtamen sunt quædam, quæ humanitati tribui non possint: vt, cùm orat patrem his verbis, Clarifica me Pater claritate, quam habui priùs, quàm mundus fieret. Et, omnia quæ audiui à patre, nota feci vobis. Iam, cùm actiones sint suppositorum, vt docent philosophi, omnino, quæ à Christo dicuntur fiuntque, personæ eius toti tribuenda sunt. Etiam, qui in vna essentia trinitatem docent, fatentur, Dei filium assumpsisse naturam humanam in vnitatem personæ diuinæ. Actiones igitur omnes Christi à persona eius diuina

Ioan. 17.
Ioan. 15.

uina separandæ non videntur; præsertim cùm natura humana Christi personalitatem suam non habeat; vt docent theologi. Haud scio, an non maximè essentiarum diuersitas patris, filii, & spiritus sancti demonstretur ex precum diuersitate, quæ ad illos funduntur. Venerat Cracouiam anno Christi 1546, nisi memoria me fallit, homo natione Belga, in sacris bibliis, vt apparebat, multùm versatus, & in locis ex eis citandis promptissimus. Is, cùm Cracouiæ esset paucorum dierum hospes, à quodam viro magni nominis conuiuio exceptus est. cuius & ego tunc conuiua fueram. Ac priùs, quàm à nobis conuiuium initum esset, ducti sumus in bibliothecam conuiuatoris omni genere scriptorum refertam. Cumque vnusquisque (eramus enim non pauci) ad suum studium libros, quos vellet, euolueret, incidit Spiritus (hoc enim nomen Belgæ illi erat) in libellum quendam precationum Christianarum. In quo cùm reperisset precationes, vnam ad Deum patrem, aliam ad Deum filium, tertiam ad Deum spiritum sanctum: Hui, inquit nos compellando, Tresne vos habetis Deos, ô Boni? Cumque responderemus, Deum nos habere vnum, qui in vnitate essentiæ tres personas habeat. Atqui, inquit ille, Quod habet, & quod habetur, diuersa sunt. Est igitur diuersus Deus ille tres habens, ab istis tribus, qui ab illo habentur. Tu verò, inquibamus nos, sophistam agis, ô Spiritus. Simplex confessio nostra est, vnum Deum esse essentiâ, trinum personis. Est igitur, inquit ille, Deus vobis & trinus, & vnus. Cer-

tè,inquimus:sed alio & alio respectu. Tum ille,Si igitur iste trinus, vnus est, cur diuersis orationibus eos compellatis? Cur in his orationibus,diuersa beneficia, quæ in genus mortaliũ conferant, ab illis petitis? Hæc tum inter nos vltro citroq; dicta fuere. Cum enim rem omnium certissimam esse crederemus,ac religione prohiberemur de ea contentiones serere,sermonem ad res alias conuertimus. Verùm ego rem postea diligentiùs expendens,tacitus mirabar,quî fieret,vt, cùm personarum actiones externæ omnes indiuisæ esse censerentur, orationibus diuersis eas appellaremus: separatim patrem orando, separatim filium,separatim spiritum sanctum: & deinde vna oratione Trinitatis opem implorando. Non secus, quàm, si quis distinctis precibus petat aliquid à Petro, Paulo, Andrea, Iacobo, Philippo; & deindevna prece ab apostolis omnibus auxilium flagitet:quorum vt personæ,ita essentiæ distinctæ sunt. In vulgaribus libellis precationum extant eiusmodi orationes distinctæ ad tres personas. In quibus & res, quæ ab eis petuntur,distinctæ, ni fallor, numerantur. Quod haud scio an nouo exemplo fiat. Augustinus in lib. Meditationum longissima oratione vtitur ad Deum.à quo petit,se eò perduci, vbi Christus in dextera eius sedeat.

Aug. to. 9. col. 707.

» Vbi tu(his verbis vtitur orationem concludendo)cum
» illo,& ille tecum in communione sancti spiritus æter-
» naliter ac sempiternaliter viuis,& regnas Deus per om
» nia secula seculorum. Addit ibi orationem distinctam
» ad Christum. ad sanctos etiam singularem. Ad spiri-

tum

tum sanctum, quod animaduertere* potueram, nullam. Et hinc igitur cum personarum diuersitate, essentiarum diuersitas ostendi posse videtur. Difficile est in terna petitione, quæ* sit cum animi applicatione vehementi ad tria supposita, cumque sensu amandi vouendique, non simul concipi tres existentias suppositorum illorum. Difficile est animum inducere, quin, tribus enunciatis (vt Dialectici loquuntur) constituis, ad subiectorum multiplicationem prædicata multiplicari existimet. Non hoc dico, quòd nesciam, multa esse in literis mysticis, quæ intellectu humano comprehendi non possint. Sed tamen episcoporum, & magistrorum religionis interest videre, ne hæc precum diuersitas occasionem det ingeniis inquietis imaginandi pluralitatem deorum, quemadmodum personæ sunt plures. Sed nos institutũ persequamur. Hucusque, demonstratum est, filium Dei totum id, quod esset, quodque & haberet, & faceret, acceptum referre Deo patri: Patremque vocari & esse solum deum; non quin filius deus sit: sed quia est deus de Deo. Pater enim ille æternus infinita sua essentia & diuinitate complectitur filium, & spiritum sanctum: quos produxit, illum generando, istum ex se emittendo. Produxit, inquam, eos, & à se distinxit. Quando verò, & quomodo id fecerit, quis intellectus hoc intelligat, quæ lingua explicet? Quæ tamen homini scire fas est, ea literis sacris prodita sunt; in quibus & nos acquiescere oportet.

* *Pro* potuerim.

* *Sic est in autographo: non, fit.*

CAPVT III.

Obiectionis de pluralitate deorum solutio.

EXistit hoc loco quæstio perdifficilis de pluralitate deorum. Si enim pater deus est, filius deus est, spiritus sanctus deus est: hi autem tres, vt personis, ita essentiis differunt: sequitur, vt plures dii sint, contrà quàm Moses, & Prophetæ ex Dei oraculis prodiderunt, deum vnum esse. Respondeo, cùm de vnitate dei quæritur, semper deum patrem nominari; qui omnio deus dicitur sine vlla exceptione. nam non tantùm rerum omnium creatarum deus est, sed & filii, & spiritus sancti. Nam, vt suprà dictum est cap. 2. filius ipsius, filius Dei dicitur. Pater autem nullius dei dicitur esse pater. Pater etiam non est genitus, nec procedens: quemadmodum filius dicitur deus à patre genitus: spiritus sanctus dicitur deus à patre procedens. sed sine vlla adiunctione pater dicitur, & est deꝰ. Et est quidem filius Dei deus verus, & (vt Ioanes loquitur) vita æterna. verùm patris respectu nunquam vocatur deus. Itaque & Paulus, obiectioni de pluralitate deorum occurrens, sic inquit,

1. Ioan. 5.

1. Cor. 8.

» Nam etsi sint, qui dicantur dii, siue in cœlis, siue in terra:
» quemadmodum sunt dii multi, & domini multi: Nobis
» tamen vnus est deus, qui est pater ille, ex quo omnia, &
» nos in illum: & vnus dominus, Iesus Christus, per quem
» omnia, & nos per illum. Manifestè Paulus vnitatem dei ad patrem illum refert, à quo sunt omnia, & in quem omnia referuntur, & ab eo pendent. Basilius contra Sabellium, & alios, ex essentiæ vnitate confirmat vnitatem dei.

tem dei. Tamen & ex principii vnius ratione eandem confirmat his verbis: Non sunt duo Dii. neq; enim sunt duo patres, nec duo Filii: sed patrem, & filium confitemur. Qui principia duo inducit, ille quoque duos Deos prædicat. nos verò patrem, & filiũ non ex vna essentia quasi præcedente dicimus. Sed pater est perfectam habens ac nullius indigam essentiam: radix & fons filii, ac spiritus sancti existens. ex patris autem principio filium subsistentem dicimus. Notanda est & obiectio Pharisæorum, & quid ad eam Christus responderit, ex Ioanne cap. 10. vbi sic scribitur, Dixerunt Iudæi Christo, De bono opere nõ lapidamus te, sed de blasphemia. Quia tu, homo cum sis, facis te ipsum deum. Respondit eis Iesus, Non'ne scriptum est in lege vestra, Ego dixi, Dii estis. Si illos dicit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura; me, quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis blasphemare, quòd dixerim, filius Dei sum. Responsio hæc Christi hanc vim habet: Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est: & quod scriptum est, falsitatis argui non potest; quomodo vos me, quem pater sanctificauit, & misit in mundum, dicitis blasphemare, eò quòd dixi, me esse filium Dei? Videmus, & à Iudæis per calumniam dictum esse, Christum se facere deum, & Christum non id confessum esse, sed dixisse, se filium Dei esse. Neque verò suam diuinitatem ex sua consubstantialitate cum patre affirmat: sed ex eo, quòd pater eum sanctificauerit; hoc est donis & gloria diuina ornauerit. A

quo

quo enim alibi vitam se fatetur habere, eidem & sanctificationem sui hîc attribuit. Quòd si esset patri consubstantialis, non minus esset sanctificator, atq; pater. Omnino expeditissima erat defensio Christo, si ita dixisset, Si illi sunt dii, ad quos sermo Dei factus est, quantò magis ego, qui sim consubstantialis Patri? Quod tamen non dixit; sed à Patris sanctificatione sui, diuinitatis suæ argumentum petiuit. Nulla igitur pluralitas deorum efficitur ex eo, quòd & filius est deus, & spiritus sanctus deus. Nam horum diuinitas originem habet à patre; qui à se ipso est deus, & fons atque origo omnis diuinitatis filio, & spiritui paracleto ante omnia secula communicatæ.

CAPVT IIII.

De coæqualitate filii cum patre: de eminentia alterius supra alterum: de consubstantialitate eorum.

IAM tandem, an filius cum patre aliquam æqualitatem habeat, videndum. Omnino æqualitas filii cũ patre, quæcunque est, eam filius acceptam refert patri, benignitatem illius in omnibus agnoscens, & ad eum omnia referens. Quod & Augustinus fatetur lib. de fide & symb. cap. 9. his verbis, Filius patri debet, quod est; hoc etiam vtiq; debens patri, quòd eidem patri æqualis aut par est. Pater autem nulli debet, quicquid est. Sic ille. Omnino autem ex verbis ipsius filii discendũ est, quid de eius æqualitate cum patre sentiendum sit. Cuius occidendi cùm Iudæi captarent occasionẽ, quòd patrem suum dixisset Deum, æqualem se illi faciens, sic eis ipse respon-

respondet, Amen dico vobis, non potest filius à semetipso facere quicquam: nisi quod viderit patrem facientem. Quæcunque enim ille facit, hæc & filius similiter facit. Pater enim diligit filium; & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit; & maiora his demonstrabit ei opera. Ita videmus, quòd filius non negat æqualitatem suam cum patre. sed non eam ad substantiæ vnitatem refert: sed ad virtutis æqualitatem, quam ille operibus multis edendis declarat. Nam & suscitat mortuos, & viuificat, quos vult. Vitam æternam donat credentibus in se. Denique & authoritatem habet iudicandi, & potestatem omnia faciendi. Quæcunque habet pater, filii sunt; cui potestas data sit omnis in cœlo, & in terra: vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Hæc & plura alia dicuntur à filio Dei, quibus asserit, eandem sibi esse & voluntatem, & potestatem cum patre: Tametsi eam sibi à patre communicatam affirmet: quemadmodum & vitam sibi ab eo datam, vt eam habeat in semetipso, hoc est sibi propriam & perpetuam. " Ioan. 5.

Quid autem de eminentia vnius supra alium sentiendum? Id quoq; ex Christo discendum est; qui sic ad apostolos inquit, Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem. quia pater maior me est. Etsi autem multi hæc verba ad humanitatem Christi referant: * Verùm ad hunc modũ non patre tantùm minor fuerat, sed & parentibus suis: quibus, vt Lucas testatur, subiectus fuerat. Pater quoq; non tantùm Christo secundum humanitatem maior est, sed omnibus; vel Christo " Ioan. 14.

* Pro Tamen. Quamquam hoc loco, ne hoc quidem tis apposi- est.

 Luc. 2.

Ioan. 10. ipso teste, qui sic inquit, Pater meus maior omnib. est. Cùm igitur dicit, patrem se maiorem esse, fontem & originem ostendit, à quo & vitam, & omnia habeat.

Iam de consubstantialitate, quæ voce Homousii significatur, ea verò qualis esse debeat in diuinis, haud sanè intelligo. Certè, vt personas, de quibus loquimur, ita essentias earum esse distinctas, & attributa ipsarum personarum, & res ipsa arguit. Filius mittitur, incarnatur. Hæc de patre, & spiritu sancto non affirmantur. Patris vox auditur de cœlo sonans. Hoc quoque filio, & spiritui sancto minimè tribuitur. Spiritus sanctus in specie columbæ conspicitur, ne hoc quidem de patre, aut filio dicitur. Quomodo igitur horum trium essentia vna numero est? Nam si essentia eorum vna est, mititur essentia patris, & essentia spiritus sancti; si quidem eadem est cum essentia filii. Auditur vox essentiæ filii, & essentiæ spiritus sancti de cœlo sonans. Conspicitur patris essentia, & filii essentia in specie columbæ. Quòd si hæc non sunt: an non hac distinctione operationum, distinctæ eorum essentiæ ostenduntur? Nisi dicis, personarum esse actiones illas, non essentię. Quod quidem si ita sit, omnino essentia ponetur extra personas, atque ita Quaternitas in diuinis erit, non Trinitas. Sed & res ipsa arguit diuersitatem essentiæ. Nam, quæ tria sunt, vnum esse nequeunt. Si igitur personę tres sunt, & quidem distinctæ, addo etiam, vt Scholastici docent, realiter distinctæ: an non tria illorum Esse realiter distincta sunt? Quòd si patris aliud est esse, aliud filii, aliud spiritus

ritus sancti: an non alia essentia patris est, alia filii, alia spiritus sancti? Esse enim,& Essentia idem sunt,sola vocum variatione distincta. Videtur,qui hanc trium personarum essentiam vnam vrgent,tacitè, aut etiam omnino expressè,modò intelligat vim vocum suarum, significare,vnum esse,qui sit pater,& filius,& spiritus sanctus. Vna enim essentia vnum esse efficit. Si igitur vna est istorum essentia, vnum est eorum esse. Vnum sunt igitur, licèt nomina sint diuersa. vt, qui pater est, filius aliquando vocetur,aliquando spiritus sanctus. Etiam essentia, quæ nata est, quæ quidem est filii cum essentia ingenita & innascibili, quæ pater est, vna numero esse non potest. Profectò si vna esset,vt filius dicitur habere patrem deum, ita pater diceretur habere filium deum; scilicet propter vnitatem deitatis vtriusq;. Quod tamen nec scriptura, nec vll⁹ hominum vnquam dixit. Ad hæc vnitas essentiæ efficeret, vt non deus de deo, sed potiùs idem deus diceretur filius cum patre. Iam si persona filii distinguitur à persona patris, vt ne videatur idem esse generans cum genito: an non eadem ratione distinguitur essentia filii ab essentia patris, quòd hæc sit principium illius,fons,& origo? Addantur huc ea,quæ * suprà scripsi cap. 4.q.3. Certè sicut idem non generat seipsum, ita idem nõ est principium cum principiato: nec idem fons cum riuo: nec idem origo cum originato. Breuiter,Identitas essentiæ patris cum filio, quæ dicemus,afferat secum necesse est; vt,quemadmodum pater est deus filii,ita filius sit deus patris sui:&,vt

* id est, superiore tractatu.

Domus Professa Cong. S. I. ad S. Barbaram.

filius exiuit à patre, ita pater exiuerit à filio: &, vt pater misit filium, ita filius miserit patrem: &, vt pater dixit ad filium, Sede ad dexteram meam, ita filius * diceret, ad patrem, Sede ad dexteram meam: &, vt pater iudicium dedit filio, ita filius patri. Hæc autem an non aliena » sunt à scripturis? Verba ipsius filii sunt hæc Ioan. 5. Non » potest à se filius quicquam facere, nisi quod viderit pa- » trem facientem. An verò viceuersa non potuerit pater quidquam facere, nisi quod viderit filium facientem? Omnia demonstrat pater filio. An verò etiam filius demonstrat aliquid patri? Pater dat vitam filio. an etiam filius patri? Pater dedit iudicium filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Mandato igi tur patris filius honoratur. Mandato eius in filium iubentur credere omnes. Item pater inuocatur in nomine filii: non contrà. Filius etiam inuocat patrem: non contrà. An quid horum consubstantialitati congruit? An non potiùs omnia, filium minorem esse patrem, arguunt? Quid igitur, inquies, sibi vult vox Homousii, quæ à Catholicis contra veteres hæreticos reperta est? Non sum ita versatus in scriptis veterum, vt, quæ ab eis tradita sunt de hac re, omnia afferre possim. In actis Nicænæ Synodi frequens est mentio eius vocis. Sed, quod animaduertere potuerim, non alia testimonia eius afferuntur, quàm illa duo: Ego, & Pater vnũ sumus: Ego in patre, pater in me est. Quæ quam vim habeant, & an ex eis consubstantialitas concludi possit, * suprà dictum est cap. 5. argu. 7, & 19. D. Maxentius in sua de Christo

*Pro dixerit.

Ioan. 10, & 14.

* Id est superiore tractatu.

Christo catholica confessione sic inquit· Sequentes in « omnibus fidem sanctorum patrum, confitemur vnum « eundemq; filium Dei dominum nostrum Iesum Chri- « stum, perfectum eundem in diuinitate, perfectum eun- « dem in humanitate; deum verum, & hominem verum « eundem ex anima rationali & corpore: Homousion pa- « tri secundum diuinitatem: homousion nobis secundum « humanitatem; per omnia nobis similem absque pecca- « to. Quòd si hæc vis est homousij huius, plana & expedi- ta est ratio eius. omnes enim, qui Christum agnoscunt, fatentur, eum in carne venisse, vt Ioannes loquitur: e- undemque verum deum esse. Sed vt non est eadem nu- mero natura in eo, quæ est in aliis hominibus: ita non est necesse, eandem naturam diuinam numero in Chri- sto esse, quæ est in patre. Scripsit Iustinus philosophus & martyr librum, cui titulum fecit, Expositio fidei de recta confessione, siue de sancta consubstantiali Trini- tate. In quo libro distinctionem personarum patris, & filii, & spiritus sancti perdoctè & luculenter demon- strauit. De vnitate autem essentiæ illorum trium sic lo- quitur, Ingenitum, & genitum, & procedens non essen- « tiæ nomina sunt, sed existentiæ modi: modusque exi- « stentiæ nominibus hisce denotatur. Essentiæ autem si- « gnificatio nomine dei designatur: ita vt sit differentia « patri ad filium, & spiritum sanctũ, iuxta existentiæ mo- « dum: vnitas autem siue identitas, iuxta essentiæ ratio- « nem. Nam si ea, quæ differentia sunt, contemplatione « perspicienda veniant: hic quidem esse suum obtinere «

„ dicitur, vt ingenitus: hic autem, vt genitus: hic autem,
„ vt procedens. Sin etiam hypostasis seu existentiæ eius
„ natura & essentia sit significanda, communi deitatis ap-
„ pellatione ea declaratur. Reliqua apud Iustinum legi
possunt. Quę mihi omnia ex schola Platonis sumpta esse videntur, qui naturas vniuersales posuit separatas (si tamen vera sunt, quæ ei ascribuntur) à singularib. Verùm, si rem ipsam spectemus, quid essentiam separet ab existētia? Vtitur Iustinus exemplo Adami, qui ingenitus cùm esset, existentiam quidem seiunctam habuerit ab aliis hominibus, qui ex eo geniti sint: essentiam tamen cum eis habuerit vnam, quam cum illis communicauerit. Verùm nos videmus, & essentiam, & existentiam nobis ab Adamo communicatam, eandem quidem specie tenus esse: numero autem nequaquam eandem. Itaque Adamus ante aliquot annorum millenarios mortuus est. Interiit eius essentia, & existentia. Nos, qui viuimus, & essentias, & existentias habemus numero distinctas ab essentia, & existentia Adami: specie tamen easdem. Sumus enim homines, vt ille erat. Quòd si exemplum Adæ transferendum est ad personas diuinas (quod quidem Iustinus facere videtur) dicemus, patrem communicasse cum filio, & spiritu sancto essentiam suam, specie quidem, aut analogia potiùs, eandem: sed numero omnino distinctā. Haud scio, an non similem sententiam scripserit Lactantiùs in lib. Institu-
„ tionum diuinarum 4. c. 29. his verbis. Fortasse quæ-
„ rat aliquis, Quomodo cùm Deum nos vnum colere di-

camus,

camus, duos tamen esse, asseueremus, Deum patrem, "
& Deum filium. Nihil hoc loco meminit de spiritu san- "
cto. Verumtamen quod de patre, & filio scripsit, mirè
conducunt ad propositum. Sic enim respondet ad quę-
stionem, Cùm dicimus Deum patrem, & deum filium, "
non diuersum dicimus, nec vtrumq; secernimus. quia "
nec pater sine filio esse potest, nec filius à patre secerni. "
Siquidem nec pater sine filio nuncupari, nec filius po- "
test sine patre generari. Cum igitur & pater filium faci- "
at, & filius patrem, vna vtrique mens, vnus spiritus, vna "
substantia est. Sed ille quasi exuberans fons est: hic, tan- "
quam defluens ex eo riuus. ille tanquam sol: hic, quasi "
radius à sole porrectus. Qui quoniam summo patri & "
fidelis & charus est, non separatur: sicut nec riuus à fon "
te, nec radius à sole. Quia & aqua fontis in riuo est, & "
solis lumen in radio: æquè neque vox ab ore seiungi, "
nec virtus, aut manus à corpore diuelli potest. Et infra, "
Vnus, inquit, est solus, liber, deus summus, carens ori- "
gine. Quia ipse est origo rerum, & in eo simul & filius "
& omnia continentur. Quapropter, cùm mens, & vo- "
luntas alterius in altero sit, vel potiùs vna in vtroque; "
meritò deus vnus vterque appellatur. Quia quicquid "
est in patre, ad filium transfluit; & quicquid in filio, à "
patre descendit. Non potest igitur ille summus & sin- "
gularis deus, nisi per filium coli. Qui solum patrem se "
colere putat: sicut filium non colit, ita ne patrem qui- "
dem. Qui autem filium suscipit, & nomen eius gerit, is "
verò cum filio simul & patrem colit, quia legatus, & "

nuncius,

„ nuncius,& ſacerdos ſummi patres eſt filius.Hic templi
„ maximi ianua eſt. hic lucis via.hic dux ſalutis. hic oſti-
„ um vitæ.Hæc ille. Clarè autem loquitur,duos eſse patrem,& filium; verumtamẽ hos duos vnum eſse deum, quia vtrique vna mens ſit, vna voluntas, vnus ſpiritus, vna ſubſtantia.Hanc vnitatem mentis,voluntatis,ſpiritus,ſubſtantiæ ad patrem refert;qui ſit vnus,ſolus,liber, ſummus,& ſingularis deus: carens origine,quia ſit origo rerum,& tanquam fons,& tanquam ſol : à quo ſit filius, tanquam riuus,& tanquam radius : qui ſit legatus, nuntius,& ſacerdos ſummi patris.Neque dubito,quin, quod ſcripſit Lactantius, ex ſenſu Eccleſiæ ſui tempo-
*Pro ſcripſerit. ris * ſcripſit. Non diſsimilia traduntur ab Eraſmo Roterodamo.Cur enim,quamuis recentioris, diligentiſsimi tamen & doctiſsimi viri ſcripta non citemus ? Eraſmus igitur in colloquio, cui titulum fecit, Inquiſitio
„ de fide, ſic ſcriptum reliquit· Ob diuinam naturam,
„ quam eandem filius habet cum patre, quicquid magni-
„ tudinis,ſapientiæ,& bonitatis attribuo patri,idem tri-
„ buo & filio. quicquid debeo patri, debeo & filio. Niſi
„ quòd ita viſum eſt patri, vt per filium conderet, ac do-
„ naret nobis omnia. Cur igitur ſanctæ literæ filium ma-
„ gis appellant dominum, quàm deum ? Quia Deus au-
„ thoritatis eſt nomen,quæ patri conuenit:Dominus re-
„ demptoris & aſsertoris. Quanquam & pater redemit
„ per filiũ: & filius deus eſt ex deo. Et interiectis aliquot
„ pagellis,addit idem Eraſmus· Cur, inquit, in ſymbolo
„ ſolus Pater dicitur deus ? Quòd hic ſimpliciter ſit au-

thor

thor omnium, quæ sunt. Nihil enim nominari potest, « cuius origo non manat à patre. Siquidem hoc ipsum, « quòd filius, ac spiritus sanctus deus est, Patri acceptum « referunt. Præcipua igitur authoritas, hoc est, originis « ratio, est in Patre solo; quòd vnus ille à nullo est. Hæc « ille. Ioannes Caluinus in Institutione Christiana,* capite de essentia,& personis Dei, sect.23.improbat nebulonum quorundam sententiam,qui dicant,Patrem verè & propriè vnicum deum esse: suamque deitatem in filium,& spiritum sanctum transfundere. Verùm ibidem ipse fatetur,Dei nomen interdum Patri κατ' ἐξοχὴν adscribi, quia fons sit ac principium deitatis; idque, vt notetur simplex essentiæ vnitas.Idem & Theologi Geneuenses,scribendo contra Valentinum Gentilem,fatentur.pag. 80.Et Caluinus quidem vnitatem essentiæ non excludit. Quomodo autem, quod principium, & fons est alicuius, idem sit cum eo, quod ab illo existit,iudicent sapientes. Mihi hoc perinde dictum videtur, atque si quis genitum cum eo, à quo nascitur, eundem esse affirmet. Quod si verè supra dictum est, idem non generare seipsum, nec idem procedere à seipso:ac propterea,filium, & spiritum sanctum distingui à patre realiter, ne idem esset genitus, & procedens cum eo, qui generat,& à quo procedit; certè etiam fons non idem erit cum suo riuo,nec principium cum suo principiato. Igitur, si pater est fons diuinitatis filii, & principium,necesse est dici, aliam diuinitatem esse filii,quàm sit patris.

* *Id est, lib. 1, cap. 13.*

hoc est, per eminentiã, vel excellentiam. Sic in margine ipse auctor scripserat.

Petrus item Fontidonius in concione, quam habuit in die Trinitatis anno Christi 1562. ad synodum Tridentinam, multa dicit de vnitate naturæ diuinæ trium personarum simpliciſsima. quę quantùm valeant viderit ipſe. De perſonis autem cùm ſingillatim loquitur, dicit expreſsè, Patrem fontem eſſe, originem, atq; prin
» cipium totius diuinitatis; cui tribuatur æternitas ſine
» principio, bonitas, & potentia immenſa. Filium verò,
» hoc eſt verbum diuinum in viſceribus paternę mentis
» conceptum, ex immenſa rerum cognitione genitum;
» qui ſit ſplendor, ſpecies, figura, imago paternæ naturæ:
» riuus ex vberrimo fonte, radius ex ſole ſplendidiſsimo
» porrectus. Spiritum etiam ſanctum ex illis amoris flam
» mis, quibus ſe pater, filiusque cõplectuntur, procedentem. Hæc ille. Quamobrem, quod ſupra oſtendimus
» dici à Scoto, dum affirmat, filium à patre accipere totum eſſe, hoc eſt, & eſſe dei, & eſſe perſonæ: quod à Durando, dum ait, filium accipere à patre eſſe, & naturam, & modum naturę: quod à Gregorio nono Papa, quod à Vielo, cùm dicunt, filium accipere à patre ſubſtantiam ſeu eſſentiã: quod ab Auguſtino, cùm dicit, patrem eſſe fontem, & principium totius deitatis: quod à Baſilio, cùm patrem ait radicem, ac fontem filii, ac ſpiritus ſancti: quod item ab aliis, quos proximè citauimus, dictum eſt, dum patrem affirmant eſſe fontem, & quaſi ſolem, ac principium totius diuinitatis, filium verò, quaſi riuum, & radium à ſole porrectum: hoc hodie non impiè ab aliis dictum videri debet, cùm dicunt, patrem eſ

ſe originan-

se originantem, filium originatum; quibus & ipsis vocibus Scotum, & Durandum suprà vti ostēdimus: Non etiam impiè, qui dicunt, patrem esse essentiatorem, filium essentiatum. Hęc enim vocabula idem significāt, quod illa ab authoribus, quos citauimus, vsurpata.

CAPVT V.

Epilogum continet Tractatus secundi.

Cùm igitur ostensum sit ex scripturis sanctis, patrem separatim nominari, & eum quidem appellatione solius veri dei insigniri: separatim item filium Dei: separatim spiritum Dei: eosq; tres dici, & numerari: non sunt hi tres in vnam essentiam confundendi. Quemque enim horum trium seorsim existere, baptismus Christi indicat; in quo pater de cœlo sonans loquitur, filius in Iordane tingitur, spiritus in specie columbina conspicitur. Idem loca scripturarum sanctarum confirmant. Neque verò negauerim, quenq; illorum essentialiter deum esse. verùm intelligendum est, hanc essentiam non esse conflatam ex tribus: sed à patre communicatam filio, & spiritui sancto. Sicut enim filius vitam habet in semetipso, sed eam tamen datam à patre: ita & essentiam habere intelligendus est à patre donatam. Quid est enim vita in viuentibus, * quàm natura & essentia? Itaque non sunt tres dii. nam filii, & spiritus sancti diuinitas ex illo, qui solus & simpliciter deus dicitur, pendet. Filius itaque non sine adiunctione deus dicitur: sed vel filius Dei, vel deus de deo. Sic spiritus sanctus spiritus Dei dicitur: quod hi duo ex deo patre,

* Pro nisi, seu aliud, quàm. *Sic etiam alibi infrà.*

tanquam fonte & origine profluant: eorumque sesentia, natura, diuinitas ad illum vnum refertur. Quibus diuinitate, gloria, maiestate, potestate diuina præditus sit laus, & honor in omnia secula. Amen.

TRACTATVS TERTIVS. CONTINET CONFLICTIONEM CONTRARIARUM sententiarum, & paradoxa tum de logo, tum de spiritu sancto.

CAPVT I.

Conflictio contrariarum rationum, & Crinomenon.

HVcusque pertractauimus, quid & pro vnitate essentiæ, & contra eam dici possit. Tractauimus autem vtranq; partem, nescio quàm doctè, certè ea fide & sedulitate, vt priùs nobis in animum induxisse videri possimus, quid sentire debeamus, quàm, quid alios sentire velimus, tradere. Nihil in vtraque parte prudentes prætermisimus: quod quidem alicuius momenti esse iudicaremus. Nihil per simulationem, vel dissimulationem reticuimus. Etsi autem erant Romanæ sententiæ præcipui fautores, qui nobis nescio quid magni pollicerentur, si suam sententiam sartam, vt aiunt, tectam reddidissemus: quod quidem, quantum res ipsa facultatis nobis dedit, præstitisse nobis videmur: Verumtamen in cõscientia contrariorum, proditor mihi visus fuissem veritatis, si, quæ pro aduersa parte facerent, omitterem: ac non sub oculos omnium

omnium ponerem. Videor fortaſse non nemini argumentum hoc in vtramque partem academicè magis, quàm theologicè tractaſse. Quod quidem & ipſe non inficior. Et certè in re ardua, difficili, perplexa, neceſsariò id mihi faciendum fuerat, ſi fortè ex contentione contrariorum aliquam certam, verbo Dei conſentaneam ſententiam inuenire poſsem. Verùm ex iactatione nimia vſq; eò, quaſi in altum maris, prouectus ſum, vt portum adhuc nõ videam, in quo ſit conſiſtendum. Stamus omnino (vt eſt in veteri prouerbio) inter ſacrum, & ſaxum. Quod vt perſpicuum omnibus fiat, placet repetere rationes contrarias. Quæ etſi ſuperiùs copioſe à nobis explicatæ ſunt: tamen in locis ſeiunctis; vt earum pugna inter ſe non omnibus mox appareat. Placet igitur eas ſimul in cõſpectu ponere. vt quiſque, quaſi in rem præſentem adductus, conflictionem contrariorum videat: & quid de ea iudicandum ſit, ſtatuere poſsit. Collectio pro vnitate eſsentiæ talis ferè erat, Cùm logos filius ſit dei patris, & natum eſse de patre, & patrem ſuam eſſentiam cum eo communicaſſe, oportet. Neque enim filius eſſe poteſt alicuius, niſi naſcatur de illo. neq; ſine communicatione eſſentiæ generatio vlla conſtare poteſt. Niſi fortè generatio eſt titulo tenus; qualem in Deo fingi abſurdum eſt. Iamquærendum eſt, Totam'ne eſſentiam ſuam communicauit pater cum filio, an partem eius? Non poteſt dici ſecundum: Dei enim eſſentiam partibilem facere impium & deteſtandum eſt. Tota igitur & perfecta patris eſſentia

in filio resídet. Nefas autem est dicere, eandem euanuisse à patre. Perfectè igitur & solidè ab vtroque retinetur. atque adeò communis est patri cum filio. Hæc ratio copiosiùs suprà tractatur cap. 6. tractatus primi. In contrariam partem de eadem essentia sic disputatur. Omnes, qui Deum agnoscunt habere filium, fatentur, filium naturam humanam assumpsisse: atque ita natum hominem esse, passum, crucifixum, & sanguinem pro humano genere effudisse. Patri negatur omnino hæc competere. Hinc collectio nascitur, Si filius factus est homo, pater non est factus homo; non igitur eadem est essentia patris, quæ filii. Quomodo enim essentia filii incarnaretur, patris autem essentia minimè, si vna numero vtriusque esset? Incarnati & non incarnati essentiam vnam esse, impossibile est. Essentiam autem filii incarnatam esse, omnes fatentur: patris essentiam, omnino negant. Ad hæc geniti, & ingeniti essentia vna esse nequit. Essentia filii nata est, non enim filius dici posset, nisi nasceretur. Patris essentia ingenita est. alioqui non pater esset, sed filius: patremque eum alium habere oporteret. Hæc ratio explicatur cum suis obiectionibus suprà cap. 7.* Ex hac autem conflictione rationum contrariarum existit hoc crinomenon, an propter communicationem essentiæ patris filio factam, eadem vtriusque essentia existimanda sit; scilicet, ne partibilis esse videatur, si partem eius filius habeat. an potiùs, quia filius genitus est, pater non genitus, non vna sit essentia vtriusque; scilicet propter legem æternam contradictoriorum,

* Adde, vt suprà, tractatus primi.

riorum, quæ non patitur, ea simul & eiusdem respectu vera esse. Demonstrata enim essentia vtrique communi, hæc dicerentur de illa. Hæc essentia nata est: hæc essentia nata non est.

Ego ponderibus rationum, quas dixi, expensis, & quasi in lances positis, non adhuc videre potui, vtra alteri præponderet. Et illius quidem, quæ pro essentiæ vnitate facit, solutionem à nemine quæsitam vidimus. tantùm abest, vt inuentam existimemus. Quòd si quis quærat, num qua inueniri possit: Ego verò non video vllam, quæ vel speciem veri habeat. Nisi fortè similitudine solis, & radii, qua multi vtuntur, res expediri queat. Radius totã essentiam suam à sole habet. quam tamen sol totam retinet sine vlla diminutione. Eodem modo filius totam essentiam à patre habet. sed & pater nulla in re diminutam eam retinet. Neque verò in illa summa simplicitate alia generatio cogitanda est, quàm emanatio vnius ab alio. Hæc similitudo si retinenda est, non videbitur absurdè dici, aliam essentiam patris esse, aliam filii; sicut alia est solis, alia radii. Id quod vel sola locorum diuersitas ostendit. Sol enim in vno loco orbis sui semper manet. Radii sparguntur per totum orbem: ac vsque in terram porriguntur. Sin hæc similitudo non recipitur, inconfutabile videbitur illud argumentum, quo vna essentia patris, & filii esse statuitur: ratacq; & firma erit sententia, vnam esse diuinam essentiam, tribus personis manentibus. Contrarii verò argumenti, quo, vt personarum, ita essentiarum diuersitas

statuitur,

ſtatuitur, quæſiuimus quidem ipſi ſolutionem. ſed non inuenimus. A magiſtris etiam theologiæ quæſitæ ſunt & multæ commemoratæ. quod ex cap. 7. * apparet: Quæ à nobis & lectæ ſunt, vt in tantis negotiorum turbis fieri potuit, non indiligenter: & expenſæ, pro ingenii noſtri modulo, non ignauiter. verùm, in qua animus noſter conquieſcere poſſet, non quita eſt reperiri. Itaque hæremus adhuc, ignari, ad quem refugii locum nos trãsferamus. Non tantùm theologi ſuperioris memoriæ, ſed & noſtræ ætatis, nonnulla commenti ſunt. Edidit Valentinus Gentilis protheſes quaſdam de deo patre, & filio. ac protheſi 18. negat, potuiſſe logon in vtero virginis concipi, quin ſimul pater incarnaretur: ſi nulla eſſet inter eos ſubſtantialis diſtinctio. Geneuenſes theologi in ſuo contraſcripto arguunt eum imperitiæ, qui non intelligat, hypoſtaſin idem eſſe, quod ſubſtantiam, vel ſubſiſtentiam. atque ita, Chriſtum, quatenus Deus eſt, carnem induiſſe: & tamen non niſi in ſua hypoſtaſi. At enim ſi logos in ſua hypoſtaſi carnem induit, quomodo non etiam in ſua natura ſeu eſſentia diuina? certè hæc ab illa ſeparari non poteſt, niſi fortè rationis conſideratione. Sed & ex ea attributa rationis exiſterent: incarnatioq; re ipſa non eſſet, ſed tantùm intellectus conſideratione. Quòd ſi conceditur, logon in ſua eſſentia carnem induiſſe, quomodo non idem dicetur de eſſentia patris, & ſpiritus ſancti: ſi quidem eadem eſt omnium? Quod addunt, Chriſtum, quatenus deus eſt, carnem induiſſe, an non inde ſequitur, omne id, quod

* Adde, vt ſuprà.

quod deus est, eandem induisse? Nisi hac particula excluditur tantùm Christi natura humana, quæ assumpta sit, non assumens. Plena mihi hæc omnia videntur sophismatum inextricabilium. Deinde 28. * arguunt Geneuenses Valentinum, quòd hypostasin confundat cum essentia: & Christi deitatem localiter restringat in angustias materni vteri. Interea nõ expediunt nodum, quî fieri potuit, vt, hypostasi incarnata, non simul incarnaretur essentia; si quidem inter eas realis est identitas. Sin minùs; quomodo aut summa simplicitas retineretur in diuinis, aut vitari posset, diuersam esse essentiam patris à filii essentia: cum vna incarnata, altera incarnationis expers esset? Hoc illi non expediunt. multò minus nos faciemus. Quæ autem nodi huius dissoluendi causa suprà cap. 7. * ex sententia magistrorum nostrorum de naturæ, & personæ distinctione recitata sunt, adeò tenuia sunt, vt telis aranearum similia videantur: adeò obscura & caliginosa, vt vix ab oculatissimis, & quidem tanquam per nebulam, cerni possint. Deinde adeò inconstanter dicuntur, vt se mutuò conficiant, vsumque habeant nullum. Illud non immeritò admirationem in hominum intelligentium mentibus excitare possit, viros doctissimos, quales & nostra & superiora tempora tulerunt multos, multis vel rationibus futilibus vel authoritatibus alienissimis vsos esse ad hasce conclusiones. Argumenta eorum permulta sunt eiusmodi, vt vel sumant pro concesso id, quod probandum esset, vel forma in eis artificiosæ demonstrationis

* Nempe Prothesi.

* Adde, vt suprà.

desideretur. Sed de hoc sit aliorum iudicium. Nos pergamus ad reliqua.

CAPVT II.
De logo, seu de filio Dei.

DVobus malis premi molestissimum, iuxta vulgò tritum sermonem. Nos verò malis ignorantiæ premimur multis. nec videm⁹, quomodo sit eis resistendum. Ostendimus, quæ ex vtraque parte incommoda quæstionis de vnitate essentiæ trium personarum diuinarum vrgeant nos. Illis verò nondum depulsis nec profligatis, cogimur ingredi nouas difficultates; si quà fortè detur euadendi simul omnes: quas singillatim euadere non possumus. Quæstio est nobis explicanda de logo, quid sit. Quem quidem Latini variè interpretãtur; alii verbum: alii sermonem: alii rationem: alii oraculum, quòd Deus per illud enarret nobis voluntatem suam. Hoc verbum fuisse in principio, affirmat Ioannes. Dixit enim, quod Moses narrat, Deus in principio. & quicquid dixit, factum est. Quemadmodum enim, si quis, verbis ex ore proferendis, res simul in hunc mundum proferret, quarum verba illa signa essent: ita
» Deus, dicendo, res creabat per verbum suum. Dicere e-
Thom. contr. Gent. lib. 4. cap. 13. § Hinc est, quod dicitur.
» nim, inquit diuus Thomas, est verbum producere. Sic
» ergo accipiendum est, quòd Deus dixit, & facta sunt.
» quia verbum producit, per quod res in esse produxit:
» sicut per earum rationem perfectam. Hoc Ioannes sic
» de eodem verbo expressit, Omnia per ipsum facta sunt.
» Cùm autem eadem sit causa conseruationis rerum, quæ

est

est productionis: sicut omnia per verbum facta sunt, ita « omnia per ipsum conseruantur in esse: vt dicit Psalmi- « sta, Verbo Domini cœli firmati sunt. & apostol⁹ Heb. « 1. Portans omnia verbo virtutis suæ. Hæc Thomas. « Hoc verbum dicit Ioannes fuisse apud Deum in principio: & quidem fuisse deum. Res igitur erat subsistens. de accidente enim absurdè diceretur, deum esse. Hoc verbum, cùm plenitudo temporis aduênit, factum est caro. Aiunt, Seruetum hæc verba Ioannis ita interpretari, vt, quod antea verbum esset, id mutatum & conuersum in carnem esset. Non dixisse Ioannem, vnitum esse verbum carni: sed, quod in principio verbum erat apud Deum, id tandem in mundo verbum factum esse. Verùm Ioannes, de testibus scribens in sua canonica, sic inquit· Tres sunt, qui in cœlo testantur, Pater, Lo- « 1. Ioan 5. gos, & Spiritus. Hæc à Ioanne longè post Christum na « tum scripta sunt. Cùm autem inter testes cœlestes ponat logon: certè logos non desiit esse Christo nato, sed & nunc manet, & semper mansurus est. Itaque in Apo Apoc. 9. calypsi lõgè post tempora Christi nati, loquens de Christo, addidit· Et vocatur nomen eius Verbum Dei. vt « certo certius sit, nato Christo, extitisse logon & etiam- num extare. Sed & ex epist. ad Hebræos cõfutatur Seueti interpretatio. Nõ enim (inquit apostolus, de Chri « sto loquens) angelos assumsit. sed semen Abrahę assum- « sit. Illud igitur, quod Ioannes, dixit, Factum est, inter- « pretandum est per Assumsit. Suntque hæc verba in primis obseruanda ad probandam diuinæ naturæ cum hu-

mana coniunctionem ad constituendum vnum Christum. Logos igitur, qui erat apud Deum in principio, factus est caro: hoc est assumsit carnem. Hinc oritur quæstio, an verbum carnem assumserit, quæ est altera pars hominis: an verò totum hominem, qui sæpe carnis nomine intelligitur. Si totum hominem: duæ videbuntur esse personæ Christi, diuina vna, altera humana. nam persona logi est assumens; persona humana est assumpta. Huic obiectioni occurrunt theologi, non esse duas personas; propterea quòd natura humana Christi
» careat personalitate sua. Licèt enim, inquiunt, hæc a-
» nima, & hoc corpus ad inuicem vniantur: tamen non
» indiuiduantur, nec vllam personam constituunt. sed
» natura ex illis duobus cõstituta ad præexistentem per-
» sonam verbi adiungitur. Non igitur natura illa præexi-
» stebat (hoc enim iam fieret in indiuiduo) sed persona
» verbi suppositat & sustentat illam in vnitatem suppositi-
» ti. Et ita, quia in duabus naturis Christi persona subsistit, vnum est ibi subsistens. Hæc traduntur à theologis Sent. 3. d. 5, & 6.

Sunt tamen, qui non totum hominem à verbo assumtum aiant: sed tantùm corpus humanum. Isti dicunt (vt narrat Bernardinus Ochinus in dialogis de Trinitate) logon fuisse spiritum, per quem omnia Deus condiderit. Qui postea, tempore à Deo definito, carnem humanam assumserit. Ex qua assumtione, & vnione cum carne, factus sit homo. Hæc sententia videtur sic posse confirmari. In quæ aliquid resoluitur, ex eis & componitur.

tur. Christus in spiritum, & carnem resoluitur. Ex his igitur compositus esse, intelligendus est. Maior est sententia philosophorum, Eadem sunt principia resolutionis, & compositionis. Minor, * quia diuisio Christi in morte cernitur. in qua duæ tantummodo partes apparent. Corpus in cruce mansit; & tandem in sepulchro positum est. Spiritus à corpore discessit, vt dicit Ioannes: Et demisso capite, spiritum exhalauit. Ex spiritu igitur illo, qui in principio logos erat, & carne humana homo factus est, qui est filius Dei. Hic logos, per quem Deus condidit omnia, ab æterno genitus est à patre generatione quadam ineffabili. Et si fas est creata cum increatis conferre; sicut radii emanant à sole: ita logos emicat à patre, à quo totam essentiam habet. de quo suprà à nobis dictum est. Neque tamen illud dissimulauero (onus enim à me susceptum exposcit, vt ne quid prudens præteream, quod vllam controuersiam facere possit) esse quosdam, qui logon inter creaturas numerent, verbis Pauli adducti, qui eum primogenitum fuisse omnis creaturæ, testatur, & eundem primogenitum ex mortuis. Sicut igitur mortuus est, & mortuorum primogenitus: ita creatus esse videtur, & creaturarum primogenitus. Loquitur autem Paulus eo in loco de tota Christi persona, hoc est & de logo ipso, & de carne ipsius. Cùm dicit, esse primogenitum omnis creaturæ, hoc non potest ei competere secundum carnem. Mox enim subdit: Quoniam in ipso condita sunt vniuersa. « Omnia per ipsum & in ipso creata sunt; & ipse est ante «

* Desideratur verbum probatur, aut quidpiam simile.

« Ioan. 19.

Col. 1.

» omnes. Hoc non potest de Christo accipi secundum carnem. Est igitur de logo accipiendum, Quod postea dicit, esse primogenitum ex mortuis, de Christo secundum carnem intelligendum est. Sicut igitur primogenitus mortuorum mortuus fuerat: ita primogenitum creaturarum creatum fuisse, putandū est. Quòd si quis obiiciat, Ioannem dicere, logon fuisse in principio: fuisse igitur ab æterno: & ita non esse creatum. Respon sio petenda est ex ratione principii. Non enim Ioannes loquitur de principio vel Dei, vel logi. Certè & Deus principio caret: & logos ineptè diceretur fuisse in principio sui. Potiùs igitur dicendum est, Ioannem loqui de principio eorum, quæ esse cœperunt. vt sit sensus, logon fuisse principio rerum creatarum. An verò inde æternitas eius concludi potest? Caret æternitas principio, & fine. Quid igitur attinet, æternitate demonstranda, principii facere mentionem? Quasi verò, quod principio rerum conditarum fuerit, non potuerit priùs condi, quàm illæ conderentur: vt pote per quem alia omnia condita fuerint. Omnino, qui primus est in aliquo ordine, is eius ordinis esse censetur. Etsi autem prioritas Christi rectè ad dignitatem refertur: quemadmodum alibi dicitur, esse primogenitum inter multos fratres: Tamen hoc loco prioritatem temporis, aut ordinis intelligendam esse, textus orationis Paulinæ ostendit. nam continuò subiunxit causam prioritatis his verbis· Quoniam in ipso, & per ipsum omnia condita sunt. & ipse est ante omnes. Certè, per quem omnia

omnia condita sunt, is omnia condita præcesserit oportet. Et quia nõ ante creaturas, sed creaturarum primogenitus esse dicitur: Igitur inter creaturas numerandus esse videtur. Obiiciet quis, pugnare inter se, filium esse, & creatum esse; quòd filii sit nasci ex aliquo: creari autem sit ex nihilo produci. Cùm igitur logos filius Dei dicatur, creaturam esse non posse. Respondeo, angelos etiam nominari filios Dei Psalm. 88. Quis similis « Domino inter filios Dei? hoc est mentes cœlestes à re- « bus mundi huius segregatas. quas tamen constat creatas esse. Sic Adamus filius Dei dicitur, Luc. 3. qui tamen & ipse creatus est. Etsi autem Filii nomen variè sumatur: nec vna sit filiationis ratio: Tamen nostro proposito satis est, non pugnare inter se filium Dei esse, & creatum esse. Addo etiam, logon non priùs filium Dei appellatum esse, quàm ex virgine nasceretur. Hoc Angelum Gabrielem ad virginem à summo deo legatum testari his verbis· Quod nascetur ex te sanctum, vocabi- « Luc. 1. tur filius Dei. Cuius quidem filiationis causam legatus « ipse virgini, de viro, quem non cognouisset sciscitanti, hanc aperuit· Spiritus sanctus superueniet in te; & « virtus altissimi obumbrabit tibi. Quod igitur fit in ge- « neratione aliorum hominum, vt ex patre, & matre nascantur, ex animaque à Deo creata, & corpore in matris vtero (ipsa quidem cum marito materiam suppeditante) formato, homo generetur: hoc fuit in Christi generatione. Virtus altissimi, patris vicem supplebat. In virginis vtero caro formata est. Cui quidem logos,

spiritu

ſpiritu ſancto cooperante, vnitus hominem conſtituit. Verè igitur & propriè Ieſus Chriſtus filius Dei eſt, & vocatur. Alium enim in terris patrem non habuit, præter Deum. Et tunc primùm cœptus eſt appellari hoc nomine, iuxta Angeli verbum. Poſtquam enim dixit, virtutem altiſsimi obumbraturam virgini: mox ſubdi-
» dit, Propterea, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur
» filius Dei. Quòd ſicubi logos, antequam ſemen aſſum-
Heb. 2. pſiſſet Abrahæ, vt apoſtolus loquitur, vocetur filius Dei, reſpectu generationis futuræ ſic vocatum eſſe, intelligendum eſt. Huic ſententię loca aliquot in ſcripturis obſtare videntur, quibus logos diſertè nominatur filius Dei, priùs quàm ex virgine naſceretur.

» Pſalm. 2. Filius meus es tu; ego hodie genui te.

» 2. Reg. 7. Ero illi in patrem; & ipſe erit mihi in filium. Hæc verba apoſtolus de Chriſto interpretatur, Heb. 1.

» Ex Aegypto vocaui filiũ meum, Matthæus recitat cap. 2. ſumtum ex Oſea cap. 11.

» Item Pſalm. 109. de logo dicitur, Ex vtero ante Luciferum genui te.

Reſpondendum eſt ad ſingula. Pſalmum 2. de Dauide loqui, multi theologi ſumma doctrina prodiderunt; eiuſq; argumentum ex lib. Reg. 2. cap. 5. petunt. Cùm enim Dauid Rex ſumma populorum ſuorum voluntate imperaret: omniaque Regis munera rectè & feliciter adminiſtraret: magnus vicinos populos timor inuaſerat, metuentes, ne eos aliquando opprimeret, atque in poteſtatem & ditionem ſuam ſubiugaret. Philiſtæi itaque turmatim concurrentes conſpirationem in eum

eum fecerunt; ac bis eum valido exercitu adorti sunt. Verùm Dauid, Deo consulto, agressus eos, vicit, fudit, profligauit. Canit itaque hunc psalmum, veluti per hypotyposim, Quare fremuerunt gentes? Quare populi « vana meditantur? Commemorat, sibi victoriam insi- « gnem à Deo in hostes datam esse: regnũ suum auctum & roboratum: Sionem in regni caput euectum. Tum verò, Deum declarasse, Dauidem sibi percharum filium esse: planeque illo die eum regem genuisse: patefacto simul, quàm riserit conatus hostium, firmeque statuerit, vt ii, qui Dauidi nollent se in iis finibus, qui populo Dei olim erant promissi, subiicere, interirent: bene autem haberent, qui se ei dedissent. Hæc viri summæ eruditionis tradiderunt. Nemo tamen est, qui neget, regnum Christi in Dauide fuisse adumbratum: ideoque hunc totum psalmum ad Christũ verisimè transferri debere. Quod & cœtus sanctorum hominum in Actis apostolorum cap. 4. affirmat. Illa quoq; verba, Filius meus es tu; ego hodie genui te, aliquoties in scri « pturis citantur: & quidem ad fines diuersos. Ad confirmandam Christi resurrectionem, Act. 13. Ad ostendendum nomen illum excellentius sortitum esse, quàm angelos, Hebr. 1. Ad honorem sacerdotii eius accommodatur Heb. 5. Sed in primis verba Pauli notanda sunt ex Actis apostolicis cap. 13. Nos, inquit, vobis nuncia- « mus, quod maioribus promiserat Deus, id vobis eo- « rum posteris præstitisse, suscitato Iesu. vt etiam in Psal. « 2. scriptum est, Tu meus es filius; ego te hodie genui. «

Paulus igitur verba Dauidis ad resurrectionem Christi accommodat, non quidem inusitata phrasi scripturæ, resurrectionem regenerationis nomine vocantis. » Sic enim Christus Matth. 19. Cum, inquit, sederit filius » hominis in regeneratione in sede maiestatis suæ. Loquitur autem de resurrectione vniuersorum: quam iudicium generale subsequuturum sit. Quòd si, ex vtero in vitam hanc prodire, est nasci: quid est reuiuiscere, quàm renasci? Quòd si Christus reuiuiscens, est renatus, quis illum regenuit, quàm Deus, ab inferis illum excitando? Ideo & Paulus excitationem Christi vocat primogenituram ex mortuis, Col. 1. Proinde, quod in psal. scriptum est, Ego hodie genuite, Paulus ad Christi suscitationem transfert; cùm Christus ad vitam, quam deinceps interitus nullus consequeretur, reuocatus fuit. Hæc tradunt, qui verba Dauidis Christo accommodant. neque scio, an quis apostolorum, aut prophetarum hæc sit interpretatus de logi generatione æ- » terna; quorum certè ciusmodi interpretatio propria est. Nam, si quis loqui velit in Ecclesia, loquendum illi
1. Petr. 4. est eloquia Dei, iuxta Petri verbum. Caluinus, etsi clarè semper loquitur de æterna logi generatione: tamen & Augustini argutiam, cum in verbis Dauidis HODIE pro æterno & continuo interpretatur, vocat friuolam, & Dauidem loqui affirmat non de arcana illa filii Dei generatione, sed de manifestatione ex resurrectione à » mortuis; de qua Paulus loquitur Rom. 1. Et quamuis » suscitari Christus à Deo cœperit, quando prodiit in mundum:

mundum: Resurrectio tamen quasi iusta & plena susci- «
tatio fuit. quòd,cùm prius exinanitus esset,forma serui «
accepta, tunc victor mortis, & dominus vitæ emersit; «
vt nihil ad maiestatẽ Dei filio,& quidem vnigenito,di- «
gnam illi deesset. Non igitur hîc est relatio inter pa- «
trem, & filium. sed hominum respectus habetur, apud «
quos illustratus est. Non enim pater filium nobis ma- «
nifestauit, qui nullo honore nullaque facultate prędi- «
tus esset: sed, qui inter se, & homines mediator esset. «
Hæc,& plura traduntur à Caluino Heb.1,& 5,& Act.13. «

Verba secundo loco adducta habentur 2. Reg. 7. prorsusque sonant de Salomone. De quo ibi sic loqui- tur Deus. Ego ero illi in patrem. ipse erit mihi in fili- « um. At ista apostolus accommodat Christo. Esto. sed non ad generationem logi ab æterno.

Quod tertio loco affertur,habetur Oseæ 11. Et ex « Aegypto vocaui filium meum. Expresè loquitur Ose- « as de Israëlitis ab exilio Aegyptiaco reuocatis. Matthæ us ad Christum refert ex Aegypto reuersum.

Verba Psalm. 109. quæ afferuntur loco quarto, in vulgata editione leguntur. A multis Græcarum & He- bræarum literarum peritis improbantur. Santes Pagni- nus sic interpretatur. Ex vtero, & ab aurora tibi ros « natiuitatis tuæ. Huldrichus Zuinglius sic. Ros natiui- « tatis tuæ ex vtero auroræ est. Ad eundem modum & « Tigurini. Rorem autem hîc pro benedictione & ple- nitudine gratiæ poni,multis doctis viris visum est. qui hunc locum sic per apostrophen explicant. O christe, «

„ ros natiuitatis tuæ, id est gratiæ illæ, quæ tibi donabun
„ tur à patre, dum carnem assumes, obuenient tibi iam
„ inde ab vtero, & à principio natiuitatis tuæ. In Tigurina editione marginalis annotatio sic habet: Partus etiam naturæ humanæ est puriss. sanctiss. magnificus, diuinus. Vt enim cœlesti vi vapor elicitur è terra, qui circa auroram densatur in rorem: ita supercœlesti virtute corpus verè humanum filius Dei assumsit de purissima virgine, vt in mundum prodiret sol iustitiæ. Sic illi. Etsi autem parum opus erat, Græca & Hebræa lingua nunc vigentibus, has interpretationes adducere: Tamen, quia non nemo, insultando nobis, profert quorundam vetustorum patrum de æterna logi generatione ex verbis psalmi, de quibus loquimur, sententias: visum est nobis opponere, quæ ad manum erant. vt ne quis putet, nos virorum doctorum suffragiis destitutos esse. At dices veteribus plus credendum esse. Cur autem, ô bone? Bucerus dicit, hunc psalmum explanando, veterem interpretem linguæ Hebrææ ignarum fuisse. Quid si & isti, qui nobis opponũtur, fuerunt eius ignari? Certe M. Antonius Flaminius, vsus, vt ipse dicit, consilio & opera hominum doctissimorum & linguæ Hebrææ peritissimorum, affirmat, in versiculo Hebræo nullam Luciferi mentionem fieri. verbaque hæc psalmi de conceptu, & ortu Christi ex vtero virginis interpretatur. Rogas tu, num pecces, si hæc verba (quæ alii ad natiuitatem ex virgine, alii ad eos, qui Christo per prædicationem Euangelii nascuntur, transferunt) ad egressum

ab initio

ab initio à diebus seculi transferas. Non puto te peccare, ô bone, si sine dolo malo facias. Sed si putas, in disputationibus de rebus diuinis, arcanas & excogitatas sententias plus valere, quàm simplicem & historicam, seu, vt multi loquuntur, literalem interpretationem, in magno errore versaris. Fateor, & defleo imperitiam magnam meam. Sed tamen studiosè perquiro, quantùm possum, sententias de rebus, quas tracto, virorum doctorum. aliorum iudicia prorsus negligo. Quò magis miror, theologos istos linguarum peritos in eiusmodi disputationibus quoslibet citare, qui modò seruiant suo instituto. Quasi non hoc modo magis eleuent sententiam suam, quàm confirment. Vet⁹ interpres sic quædam verba Psalmi Dauidis, interpretatus est· Viduam eius benedicens benedicam. Hoc periti Hebraicæ linguæ improbant, ostendentes ex fontibus Hebraicæ veritatis, fortasse etiam ex Græca versione, pro VIDVAM, legendum esse VICTVM. Veterem interpretem multi viri doctissimi sequuntur. fortasse & Augustinus ipse. Libris eorum deficior; vt nihil pro certo affirmare possim. Sed & Augustinum, & alios viros doctissimos audio sequi veterem interpretem: & ex occasione vocis VIDVAE summam Dei benignitatem commendare in orphanos: qui à morte seu parentum seu maritorũ omni ope humana destituti, non destituuntur tamen à patre cœlesti, summa benignitate eos alentis, protegentis, ornantis. Cui non arrideat eiusmodi pia, docta, vera explicatio? Et tamen docti Hebraicè demonstrant,

" Psalm. 131.

non Viduam, sed Victum, legendum esse. Dicant igitur quiduis, quicunque, qualescunque, quotcunque, seu de Lucifero, seu de quouis arcano alio. Mihi tamen plus videre videtur vnus bene oculatus, quàm centum cœcutientes. Viros autem doctos minimè decet, vt, veris relictis, plausibilia consectentur: ne in eruditorum dicta incurrant: veniant in suspitionem vanitatis, & authoritatem perdant in docendo. Scripsit Cummannus Flinspachius ecclesiæ Bipontinæ minister libros aliquot de arcano Dei consilio nascituri Messiæ ex semine Abrahæ, & Dauidis. Scripsit, inquam, de generatione Messiæ secundum carnem humanam, quæ ex familia Abrahæ, & Dauidis nouissimis temporibus orbi exhibita sit. Eam autem, ab Adamo orsus, ad tempora vsque nati Christi, indicatione scripturarum veteris & noui testamenti, fusissimè prosequutus est. Etsi autem fatetur, Christum natura esse deum, & esse de substantia patris: idq; testimoniis sanctæ scripturæ demonstrare nititur: quæ quidem quantum valeant, viderit ipse: Tamen de æterna generatione, qua secundum diuinitatem ex patre absque omni principio natus sit, ne „ verbum quidem. Quis enim illam (inquit ipse totidem „ verbis) explicare verbis aut percipere humano sensu „ possit: quæ & omnem omnium hominum, & angelo- „ rum captum excedit: & de qua nihil à Christo, prophe- „ tis, & apostolis vspiam perspicuè traditum est? Quod si id verè Cummannus prodidit, quid tandem isti agunt, qui æternam illam generationem sanctis bibliis confirmare

Lib. 1. cap. 2.

Lib. 2. cap. 2.

firmare contendunt? qui in verbo Luciferi tanta extruunt mysteria? Quod quidem in Latinum versum irrepsit sine vlla graui authoritate. Et tamen ei⁹ mentione reboant scholæ, & templa omnia: magna negligentia, aut conniuentia eorum, qui gubernant ecclesias. Nos verò quicquid in maximis curis potuimus, de logo Dei scripsimus: non certè vlla cupiditate nouandi aliquid incitati: sed quia muneri nobis impositò hoc adiunctum vidimus. Vrget nos Crinomenon, quod capite superiore descripsimus. Viam quæsiuimus euadendi ex illo biuio. aliam reperire nõ potuimus, quàm si logo ea, quæ scripsimus, tribueremus. Iam enim planum esset, non illum patri consubstantialem esse: absurdiq́ue nihil esse, illo nascente, patrem, & spiritum sanctum innascibilem esse. Cessarent illi labyrinthi de naturæ & personæ diuinæ distinctione. De qua quidem à multis scribuntur & dicuntur multissima.* An verò ab aliquo intelligantur (cum ea quidem cogitatione, vt ad rem conferantur) persuadere mihi non possum. Illud verò quis intelligat, animam Christi corpori vnitam existentia sua carere? Quasi verò sermo sit de natura vniuersali extra sua singularia. Quòd si de rebus singularibus sermo est, an non videretur logos ad hunc modum non entia assumpsisse? Quod enim non existit, an entis rationem habere potest? Non immeritòiubet Paulus Timotheum vitare quæstiones stultas & ineruditas; quòd lites generent, nullum fructum afferentes. Quid autẽ stultius, quid ineruditius dici potest, quàm

* Pro Quòd

2. Tim. 2.

quæ

quæ à magistris istis dicuntur, in hoc quidem argumento? Multa eius generis ab illis ridiculè quæruntur, temerè definiuntur, labore maximo discuntur, fructu verò minimo ac potiùs nullo. Iam omnia quæcunque in scripturis dicuntur de filio Dei, eadem huic, qualem diximus, verisimè tribuerentur. Descendit de cœlis, vt carnem assumeret. de spiritu sancto conceptus, & ex virgine natus est; crucifixus, mortuus, à morte suscitatus, in cœlum cõscendit; factus redemptor noster, mediator noster ad Deum; venturus tandem iudex viuorum, & mortuorum. Docent nos multi viri docti, magis nobis animo voluendum esse, & fide complectendum, quid nobis præstiterit Christus, & quid efficiat in nobis, quàm, quid ipse in se sit. Nobis verò mortalibus magis libuit penetrare ad maiestatem Dei imperscrutabilem, eiusq; quasi præcordia rimari, quàm in iis resistere, quę mortalium generi Deus præstitit per filium suum vnigenam Iesum Christum dominum nostrum.

Si quis iis, quę diximus, offéditur, ne mox damnet. sed potiùs expendat diligenter priùs omnia: & cum sententia magistrorum nostrorum conferat. ac, momentis rationum, authoritatum, confirmationum, & confutationum ponderatis, iudicet. Nihil turpiùs, quàm incognita damnare: solisque opinionibus præiudicatis de aliquo iudicare. ad quem scopulum ne quis impingat, vehementer cupiam. Hæc de logo. nunc de spiritu sancto.

CAPVT

CAPVT III.

De Spiritu sancto.

LIbet autem, quod principio libri scripsi, idem nunc repetere, veritatem, tanquam in profundo puteo mersam, latere. Tametsi, vt dicam, quod sentio, non tam mihi veritas tenebris operta esse videtur, quàm tenebras in nobis esse; quæ non sinunt nos, res, vti sunt, intueri. Peccatum, cum quo nascimur omnes, facit, vt & corpora nostra debilia ac morbida sint, & intelligentia tarda nimiùm ad ea comprehendenda, quæ & verissima sunt, & maximè necessaria. Quid cum aliis fiat, nescio. Mecum certè ita sentio agi, vt quò magis scrutor hæc mysteria, de quibus in hoc libro egi, eò plura mihi * obuersantur, quæ animum reddant meum ancipitem. Ecce enim de spiritu sancto cogitationes quædam aliæ.

* Pro obuersentur.

Erasmus cùm in aliis locis, tum in suo Ecclesiaste de trium personarum diuinitate disserens, ait, Dei nomen aliquando toti Triadi competere; vt cùm dicitur omnipotens, æternus, creator. aliquando personæ; idq; vel patri, vel filio. De patre; vt cùm dicitur, Deus filio suo non pepercit. De filio; vt cùm dicitur, Deus natus de virgine. Cùm dicitur deus de deo, intelligitur filius natus de patre. De spiritu sancto non esse perinde in promptu exemplum. Idque etiam fateri Gregorium Nazianzenum in libris theologiæ. Et quanquam, inquit, certissimis argumentis colligitur spiritum esse deum: nunquam tamen apertè vocatur deus. Idem Eras-

Lib. 4.

smus de sancto Hilario scribit, nusquam eum in libris, quos de Trinitate duodecim scripsit, scripsisse, adorandum esse spiritũ sanctum: sed promerendum. nusquam ei nomen Dei tribuisse: nec aliud ausum de spiritu sancto pronuntiasse, nisi, quòd spiritus Dei est. Idem Erasmus in libello de orando Deum· Videmus, inquit, solennes Ecclesiæ preces à prisci nobis traditas (de iis sentio, quas collectas vocant) pleraſque dirigi ad patrem, nonnullas ad filium, nullas ad spiritum sanctum. In omnibus tamen trium personarũ fieri mentionem. idque tanta religione videmus à veteribus obseruari, vt ne in iis quidem, quibus multis vtimur in feriis Pentecostes, vlla sit, quæ spiritum sanctum appellet. Hoc duntaxat in iis, quæ sacerdos pro populo toto pronunciabat. Cæterùm in cantionibus, quas populus decantabat, non vitatur inuocatio spiritus sancti; veluti in prosis, hymnis, antiphonis. Tanta erat antiquis religio, ne quid auderent, quod diuinis literis non esset expressum. Ideo ferè precationes omnium diriguntur ad patrem, quia palàm & crebrò legunt, apostolos admonitos, vt patrem cœlestem orarent: sed in nomine filii. Et filius in euangeliis frequenter orans, patrem alloquitur. Spiritum PROMITTIT, non ORAT. Idem annotauit, In symbolo Patrum, quod canitur in sacro, Filius pronuntiatur deus verus de deo vero. Spiritus sanctus tantùm dicitur dominus vnà, & vnà glorificandus & adorandus. cùm in posteriore symbolo, quod Athanasii putatur, apertè pronuncietur spiritus deus æqualis

patri,

patri, & filio. Addit Eraſmus, non eſſe dubitandum, quin ſpiritus ſanctus ſit deus, & poſsit inuocari. ſe autem ea commemoraſſe, vt declararet religioſum timorem veterum in loquendo de rebus ineffabilibus. Qui, cùm nec in ſacris literis locus extaret, vbi ſpiritus ſanctus deus diceretur, aut inuocandus: nec id ex collatione ſcripturarũ eſſet expreſſum; non auſi ſunt id pronunciare, quod definitum non eſſet. Poſt autẽ ex collatione ſcripturarum, & ex ſynodorum authoritate pronunciatum eſt, ſpiritum ſanctum deum eſse, & adorandum eum eſse & inuocandum. Hæc ille.

Etſi autem verba Eraſmi poſtrema pio homini ſatisfaciant ad perſuadendum deitatem ſpiritus ſancti: Tamen iis, qui nihil recipere volunt, quod non ſit in ſanctis literis expreſsum, dubitationem magnam afferre poſsunt, quæ priùs dixit; 1. Dei nomen nuſquam ſpiritui ſancto tributum; non deum, ſed Dei ſpiritum tantùm vocatum eſse. 2. nullibi dictum, inuocndum eſse aut adorandum: ſed promerendum. 3. filium quoque, cùm oraret, patrem tantùm appellaſse; non oraſse ſpiritum, ſed promiſiſſe.

Sunt & hîc argumenta, quibus diuinitas ſpiritus ſancti confirmari ſolet, examinanda. 1. Primum argumentum ſumitur ex verbis Petri ad Ananiam, qui pretii parte, quod pro prædio acceperat, detraxit: parte aliqua ad pedes apoſtolorum depoſita. Cur, inquit, Anania, Satanas impleuit cor tuum, vt mentireris ſpiritui ſancto: & de prædii pretio interuerteres? Te ne iſtam rem induxiſſe 1. Act. 5.

» induxisse in animum tuum? Non tu hominibus mentitus es, sed Deo. Igitur Petri sententia spiritus sanctus est Deus: cùm quidem, qui spiritui sancto mentitur, mentiatur Deo. Respondeo, non hoc fieri ideo, quòd spiritus sanctus sit Deus; sed quia cœtus ille hominum, erat cœtus Dei: quem Deus gubernabat spiritu sancto. Petrus igitur hoc loco vocat Deum, qui & filium dederit, & spiritum sanctum. Sed coniiciamus Petri verba in formam syllogismi ad hunc modum.

Qui aliquid admissum in spiritum sanctum, idem admissum putat in Deum, is affirmat spiritum sanctum esse Deum.

Petrus mendacium admissum in spiritum sanctum putat in Deum admissum esse.

Petrus igitur spiritum sanctum affirmat esse Deum.

Respondeo, maiorem non esse concedendam. Nam ex illa multa absurda sequerentur. An enim, quia legatum offendens, offendit Regem à quo legatus est: idcirco legatus est Rex suus? Corinthum tradunt euersum historici à Romanis, propterea quòd eorum legati à quibusdam Corinthiis iniuriosiùs essent tractati. Tulerunt scilicet Romani indignè violationem legati sui: perinde eam ducentes, atque ipsimet violati fuissent. an ideo dicemus, legatum eundem esse cum iis, à quibus legatus sit? Deus loquitur ad Iudæos, Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. an propterea Iudæi sunt pupilla oculi Dei? Christus ad apostolos, Qui vos, inquit, recipit, me recipit; & qui vos spernit, me spernit. an ideo

Zach. 2.

Matth. 10.

deo

deo apostoli sunt ipse Christus? Alio in loco, Quod, inquit, feciſtis vni ex fratribus meis, mihi feciſtis. an iccirco fratres Christi sunt ipse Christus? Si hæc absurda sunt, certè & maior propositio illis similis, minimè concedenda est. Iam altera præmissarum falsa existente, an conclusio vera esse potest? « Matth. 25. « «

Secundum argumentum. Qui templum habet, deus est. Spiritus sanctus emplum habet. Igitur est deus. 2. « 1. Cor. 3. An nescitis quòd templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Hîc propter spiritum Dei in nobis habitantem vocamur templum Dei. Respõdeo, sicut * supra' dictum est cap. 5. argum. 27. Templum Dei vocari, in quo legatus Dei Iesus Christus versaretur. ita puto dici templum Dei, in quo spiritus Dei habitat. Reguntur enim fideles spiritu sancto, consolatore & ductore in omnem veritatem. Si hoc argumentum validum esset, sequeretur, spirirum sanctum esse Christum. Paulus enim dicit, Christum in nobis habi tare, & spiritum quoq; Dei in nobis habitare. Si enim ob spiritum Dei habitantem in nobis, templum Dei dicimur: ac propterea spiritus Dei * sit, deus: profectò etiam, quia ob spiritum Dei habitantem in nobis, Christus quoque habitare in nobis dicitur, erit etiam spiritus Dei ipse Christus. Quod si hoc absurdè dicitur, ne illud quidem aptè collectum est. * Id est, tractatu primo. Rom. 8. * Pro est.

Tertium argumentum. In quem credimus, est deus. In spiritum sanctum nos credere apostolico symbolo confitemur, his verbis, Credo in spiritum sanctum. 3.

Reſpondeo, Maior patitur inſtantiam. nam & in ſanctos nos rectè credere docet Paulus; qui tamen non ſunt dii. Sic enim ſcribit ad Philemonem, Gratias ago deo meo ſemper mentionem tui faciens in precibus meis: cùm audiam tuam charitatem ac fidem, ὃν ἔχεις πρὸς τὸν κύριον Ἰησοῦν, καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους, quam habes erga dominum Ieſum, & in omnes ſanctos: Non igitur ex fide, quam alicui habemus, concludi poteſt eius deitas. Cauſa priùs cognoſcenda eſt, vt & effectum, qualis ſit, cognoſcamus. Deus, & ſancti eius, res ſunt diuerſiſsimæ. fides quoque, quæ habentur eis, diuerſiſsimas eſſe oportet. Deo fides habetur, vt creatori rerum, & largitori bonorũ omnium. Sanctis autem, vt miniſtris & annunciatoribus beneficiorũ eius. Quo ſenſu Exo. 14. dicitur, Iſraëlitas ab iniuria Aegyptiorũ conſeruatos, cùm illos in mari merſos ſpectarent: & tam illuſtre Iouæ erga ſe factũ perſpicerent: & ipſi Iouæ, & ſeruo ipſius Moſi fidẽ adiunxiſſent. Ad eundem modũ fidem habemus & ſpiritui ſancto ducenti nos in omnem veritatem: & in ſanctã eccleſiam catholicam, εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν; quæ & ipſa eſt columna veritatis. ac propterea fides illi habenda eſt. Quid autem hoc ad vnitatẽ eſſentiæ triũ? Inualidæ ſunt eiuſmodi connexiones, ruinoſæ, & malè formatæ. Quærendæ eſſent aliæ ad cõfirmandam fidem tanto axiomati. Iam quæ dicemus, haud ſanè ſcio, quomodo accipienda ſint. Vtinam, qui ſpiritu & doctrina prædi ti ſunt, hæc explicent; vt tandem hanc ſententiam explicatiorem aliquando habeamus

mus. Christus de se, & patre sic loquitur, Ego & pater « «
vnum sumus. Et, Non sum solus; sed vnà mecum ad- « Ioan. 10.
est, qui me misit pater. Et, Ego in patre, & pater in me « Ioan. 16.
est. Et, Vnus pater vester, qui in cœlis est; & vnus ma- « Ioan. 14.
gister: nempe Christus. Matth. 23. Et, Nemo nouit pa- «
trem, nisi filius; & nemo filium, nisi pater, Matth. 11. De «
vita æterna concionando sic alloquitur patrem, Ioan. «
17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum «
deum; & quem misisti, Iesum Christum. De fide autem, «
cui sit habenda, Creditis, inquit Ioan. 14. in Deum; & in «
me credite. Cur in his tot verbis, patris & filii mentio- «
ne facta, spiritus sanctus pretermissus est: si quidem est «
tertia persona illis coëssentialis? Sed & Stephanus post
concionem suam, quam longissimam habuit ad Iudæ-
os, intentis in cœlum oculis, vidit gloriam Dei, & Ie-
sum stantem à dextris Dei, Act. 7. Et Ioannes in Apoca- Apoc. 4, & 5.
lypsi testatur, se vidisse in solio sedentem, & agnum stan
tem. De spiritu sancto tacet. Paulus quoque hanc fidei
suæ edit confessionem 1. cor. 8. Nobis vnus est deus, «
qui est pater; & vnus dominus, Iesus Christus. Et, Vnus « 1. Tim. 2.
deus; vnus mediator Dei, & hominum, homo Christus «
Iesus. Quid illud? Ipse Paulus in omnibus ferè epistolis «
salutando eos, ad quos scripsit, gratiam eis, & pacem
precatur à Deo patre, & domino Iesu Christo. Nullibi
autem facit mentionē spiritus sancti. Sic Apoc. 1. Ioan- «
nes, inquit, septem Asianis ecclesiis gratiam, & pacem «
ab eo, qui est, & qui fuit, & qui venturus est, & à septem «
spiritibus, qui sunt ante eius solium, & à Iesu Christo «

teste

» teſte illo fideli, primogenito ex mortuis, & Regum ter-
» ræ principe. Ne hîc quidem eſt mentio ſpiritus ſancti.
Luc. 9. 26. » Chriſtus ipſe, Quem mei, inquit, meorumque dicto-
» rum puduerit, huius pudebit filium hominis, cùm in
» ſua, & patris, ſanctorumque angelorum gloria venerit.
Cur hîc non facit filius mentionem ſpiritus ſancti, vbi & ſui, & patris, & angelorum mentionem facit? An non potiùs ſpiritus ſanctus nominandus erat, quàm angeli: ſi quidem eſt tertia perſona in diuinis? Paulus 1. Tim. 5.
» Obteſtor te, inquit, in conſpectu Dei, & domini noſtri
» Ieſu Chriſti, & electorum angelorum, vt hæc ſerues.
» Cur non potiùs dicit, ſpiritus ſancti? Apoc. 3. Qui, in-
» quit Chriſtus, vicerit, eius nomen coram meo patre
» confitebor, & coram angelis eius. Peccaret Chriſtus in ſpiritum ſanctum, mentione eius prætermiſsa; cùm quidem & ſui patris, & angelorum mentionem faciat. Huc addi poſsunt loca omnia ſuprà citata, in quibus fit mentio patris, & filii: nulla autem ſpiritus ſancti. quæ prætermittenda non erat: ſi quidem eadem eſt eius deitas, quæ patris, & filii. Videtur & Chriſtus, & apoſtoli, quorum verba citauimus, nullam habuiſse rationem deitatis, quæ communis eſset trium perſonarum. neq; hoc tantum; ſed, omiſso ſpiritu ſancto, angeli aliquoties ab eis nominati ſunt: quaſi prærogatiuam habuerint maiorem, quàm ſpiritus ſanctus. Iam & illud quæſtionis eſt, cùm & angelis, & iis, qui ſunt in magiſtratu, & aliis hominibus nomen dei tribuatur aliquando, cur non etiam ſpiritui ſancto ne ſemel quidem tributum ſit? Hæc

sit? Hęc enim causa affertur, cur veterum quidã theologorum spiritum sanctum deum vocare minimè ausi fuerint: etiamsi multa soli deo propria ei tribuerint. Hæc ego legi; & commentabar admirabundus. nec quid sibi velint, prorsus scio. Deum autem precor misericordem, vt ille, miseratus senectam ecclesiæ suæ, mittat Philippum aliquem, qui nobis scripturas legentibus præeat: ac sensum earum verum patefaciat. vt tandem vno ore, & animo pacato adoremus deum patrem, per filium ipsius Iesum Christum dominum nostrum in vnitate sancti spiritus. Amen.

CAPVT IIII.

Peroratio.

INcidimus in mirabilium quęstionum anfractus varios & periculosos: quos an quando superaturi simus, ignoramus. à nostris quidem viribus desperare cogimur. Antea quasi in passa fidei planicie versatus sum. De trinitate personarum diuinarum, & vnitate essentiæ adeò persuasus fueram: vt vitam mihi citiùs, quàm hanc sententiam, eripi passus fuissem. Curiosus esse non sustinebam in eo, quod clarissima voce theologorum omnium, cõciliorum, ecclesiarum affirmabatur, & confirmabatur. In hac sententia permanebam; primùm quidem, quòd tanto seculorum retroactorum consensu cõprobatam viderem. Deinde in hoc flexu ætatis meæ, cùm & labores rei familiaris infiniti, & negotiorum ciuilium turbæ auocarent me ab omni lectione, nihil mihi suppetebat temporis ad res nouatas cognoscen-

t das.

das. Cum verò tuo monitu, Rex, tanquam voce cœlesti, sic enim interpretor, instinctus essem, vt concordiæ causa ea euoluerem, quæ tum à nouis, tum à veteribus scriptoribus, quos quidē habere potui, prodita essent: eò prouectus sum, quò omnino non sperabam. Deum autem testor, qui arcana hominum iudicaturus est, & conscientiam meam, quæ cogitationum procellis agitata, iacebat non semel tanquam nihil sentiens: me nihil alicui partium dedisse. sed quam principio huius tractationis personam suscepi, vt quasi antea ignarus fuerim, quid de Trinitate sentiendum esset: eandem ad extremum sustinui. Ostendi pro mea facultate, quid pars vtraque sequatur potissimùm. Iam Ecclesiæ est iudicium, quid sequendum sit. Ecclesiæ, inquam, hoc est piorum & doctorum hominum; qui & hæc, quæ à nobis scripta sunt euoluant: &, quę huic argumento seruiant, expendant omnia. Hi enim sunt harum rerum iudices legitimi. Illos porrò, qui nec cognoscere velint scripta nostra, nec veterum controuersias euoluere, sed tātùm opinionibus præiudicatis pugnare contendant: causa non est, quamobrem in pręsentia non missos faciamus.

Est autem è re Christiana, vt, omissis longis disputationibus, doctrina religionis breuiter, & sobriè tradatur. Paulus ille vas electionis vsque in tertium cœlum raptus, vidit arcana Dei innumerabilia. nihil tamen vehementiùs nobis tradit, quàm ea, quæ homines in vera fide, & vera religione * cōtinerent. Gloriatur etiam, nihil se scire, nisi Iesum Christum: & hunc quidem crucifixum.

* Pro cōtineant.

2. Cor. 2.

fixum. Christus ipse vitam æternam describit esse cognitionem solius Dei veri, & ab eo missi Iesu Christi. Ioan. 17.
Hunc imitati apostoli, quid magis faciebant, quàm, vt nos sua doctrina renouarent, & in Christum transformarent? vt spiritu, & charitate prædíti, digni redderemur vita æterna? Hoc igitur agendum potiùs, vt missis quęstionib. non necessariis, Deum, & filium Dei agnoscamus, colamus, adoremus: eorumque vnitati, quoad possimus, vnitate nostra respondeamus. Sic enim ipse Christ⁹, orãdo patrem pro fratribus, Serua eos, inquit, « Ioan. 17.
pater sancte, in nomine tuo, quos dedisti mihi; vt sint v- «
num, sicut & nos. Quot & quàm varia quæstionum ge- «
nera nõ tantùm à Scholasticis superiorum temporum, verùm etiam à nostri temporis theologis excitata sunt de fide, peccato, sacramentis? Interea parum studetur, vt viua fide seruiamus Deo immortali, eiusque filio Iesu Christo: peccata auersemur: perceptione sacramentorum vitam viuamus Deo dignam. Christus, legans suos in omnes partes orbis, non aliud mandauit, quàm, vt prędicarent euangelium, & pœnitentiam. In propin quo enim esse regnum cœlorum. Nec quicquam magis inculcabat suis, quàm pacem, & amorem mutuum. Quoties ab illo repetitur illa vox: Pax vobis? Hoc igi tur sollicitè studeamus, vt vera fide inuocemus deum nostrum per Iesum Christũ filium ipsius; ea loquamur, quæ nos dirigant ad vitam piè sanctèq; traducendam; ça tractemus, quę faciant ad charitatem proximi, de illo benemerendo. denique tota vita innocentiæ stude-

amus, ab omni peccato abstinendo. Hoc si fecerimus, magis finem, & perfectionem theologiæ assequemur, quàm si omnia quæstionum genera ediscamus, & perdiscamus.

FINIS PRIMAE SYLVAE.

ANDREAE FRICII MODREVII SYLVA SECVNDA, DE NECESSITATE CONVENTVS habendi ad sedandas religionis controuersias.

CAPVT I.
Obiectionis occupatio.

VIDEBOR fortasse tibi, Rex, plura ausus esse, quàm tu præscripseris. Tu enim mihi mandasti, vt cõcordiæ partium studerem. Ego autem tantùm abest, vt id fecerim, vt rem magis intricasse videri possim, partesq; ipsas plus offendisse, quàm reconciliasse. In primis igitur reddenda mihi

da mihi est ratio facti mei. Ego certè, cum animo meo voluens & reuoluens omnia, viam ad concordiam inuenire non potui aliam, quàm si pro mea facultate indicarem, quid in vtriusque partis scriptis desiderarem: remque omnem ad omnes Christiani nominis pios & doctos viros referrem. Quod quidem & tu fieri voluisti, &, vt per me fieret, imperasti. Dixi igitur quædam, quæ Romanis, & Augustanis minimè sint placitura: nonnulla, quę Pinzouiis parum probabuntur; quædam etiam, quæ, sat scio, displicebunt vtrisque. nam nec mihi quidem ipsi in eis satisfacio. Quid igitur? reticenda fuerant? Profectò in hac tractatione nihil mihi omittendum visum est, quod dubitationi maiorem præberet materiam: fenestramque tandem ad discordiam latiorem aperiret. Cùm autem iudicium tantæ rei non sit priuati hominis: & eius præsertim, qualem me esse minimè negauero, qui ingenio parum, arte modicùm, exercitatione non multùm valeat: quid æquius, quàm ad eos rem totam referre, quos Christus in cœlum ascendens, dona reliquit ecclesiæ suæ, prophetas, doctores, euangelistas? Profectò aut hi soli, aut nemo hominum videtur operam nauare posse tantæ rei.

CAPVT II.

Partes quomodo se gerere debeant inter se interea, dum concordia expectatur.

PArtium autem fuerit diligenter expendere omnia, quæ vel pro se, vel contra se faciunt. Magnitudo causæ tanta est, vt meritò quenque ad cognoscendi studi-

um excitare debeat: atque ad ſuſpendendam ſententiam, cuicunque ante addictus eſſet, quàm iudicet. Interea ferendi ſunt æquis animis, qui contrarium ſentiant: nec vllo modo pro hoſtibus Chriſtianæ religionis habendi. Magnæ in nobis ſunt ac denſæ ad verum contuendum tenebrę. Doctrina exiliter tincti ſumus. Iudicium in nobis eſt parum circũſpectum. Sententias, quas priùs adamauimus, ſæpe cum faſtidio reſpuimus. Decet vnumquenq; in his opinionum fluctibus aliorum miſereri: nec pro ethnico, aut publicano eum habere, qui diſſentiat. At Chriſtus iubet pro talib. habendos, qui non audiunt Eccleſiam. Iubet certè. ſed de Eccleſia hodie diſputatur, vbi nam ſit; cum quidem de verbi Dei, quod Eccleſiæ fundamentum eſt, ſenſu, valde diſputetur. Eccleſia noſtri temporis rugas habet, & maculas multas ignorantiæ, erroris, fluctuationum. Non tantùm dico de Romana, quæ Catholicæ nomine vult appellari: ſed & de ea, quæ Euangelicorum nomine gaudet. Quot enim in partes olim ſciſſa eſt? Poſtremò, cum in articulo Trinitatis à Romanis, & Auguſtanis diſceſſit, quot mutationes in ea factæ? Nam Pinzouienſes aliud dicuntur docere, quàm Seruetus, qui nouationis author fuerat. Velim autem iis, qui putant, inſectandos eos, qui diuerſa ſentiant, veniat in mentem, quod narrat Lucas cap. 9. de Iacobo, & Ioanne, qui Samaritanis hoſpitium Ieſu negantibus, irati, dixerunt ad
„ Ieſum, Domine vis iubeamus, ignem de cœlo deſcen-
„ dere, qui eos conſumat: quemadmodum & Elias fecit?

Ieſum

Iesum autem ita eos obiurgasse. Nescitis,cuius spiritus filii sitis vos. Coërcet Iesus zelum discipulorum inconsultum & temerarium.ad considerationem sui eos hortatur: & ad explorationem spiritus, cuius sint filii. Traditur nobis à Christo doctrina, ne fidamus nobis ipsis. Quod quidem, si alias vnquam, nunc certè tam est necessarium,quàm quod maximè. Veniat & in mentem omnibus,exemplum Tobæi Tobiæ patris.Qui, quamuis cum decem tribubus, quæ à templo Hierosolymitano ad Samaritanum defecerant, idolatriâ non communicabat: tamen omnes gentis suæ homines, vtcunque impios,charitateincredibili prosequebatur.Quod quidem tantò mirabilius in ipso * fuerat: quantò ipse nihilò minoribus,* atque' cæteri, captiuitatis Babylonicæ calamitatib. premebatur.Quoquo modo potuit, opitulabatur aliis,nunc verbis consolando,nunc rebus adiuuãdo, nunc eos, qui necabãtur,sepeliendo. Vnum quemq; igitur decet æquitatem animi retinere, etiam in eos,qui diuersa sentiant,cõsiderantem suas ipsius hallucinationes,ignorantias:quibus cùm & ipse obnoxius sit,an non sui ipsius miserebitur? Ecce mihi hoc saxum voluitur mensẽs ampliùs quinque.neque tamen adhuc certus sum,in qua sententia consistendum sit. Ratiocinatione magis, quàm solidis scripturarum testimoniis multa à me collecta sunt. quemadmodum & Homousion non tam scripturis, quàm ratiocinatione demonstratum & concluſum esse, multi pro certo affirmant. Adhuc igitur animus incertus est, vtri tandem sententiæ sit

« « « «

tiæ sit adhærendum. Itaq; & Romanos cum Augustanis audio æquis auribus suum dogma personantes: & Pinzouiorum disputationes non molestè fero: Deum orans, vt vtrisque det studium pacis,& concordiæ. vt, quem omnes per Iesum Christum filium ipsius dominum nostrum in spiritus vnitate colimus & adoramus, de eo vnam retineamus sententiam, verbo ipsius congruam,& patribus,qui nos in Christo genuerunt, consentaneam.

CAPVT III.

Officium Regis in discordia partium.

TVVM autem est, Rex, pacem inter partes edicere,ac Ecclesiæ in vnitatem restituendæ curam suscipere. Et quamuis in tãta imperii tui amplitudine ac populorum varietate impeditus sis negotiorum concursu infinito,dum aliud Polonia postulat,aliud Lithuania,aliud quoque aliæ prouinciæ ditionis tuæ requirunt, aliud cùm Regum ac principum,tum Romani pontificis legati petunt: tamen vnicum eſt maximè necesarium,omni fine carituru,à quo proficiscitur,quicquid est præclarum,siue in cœlis, siue in terra, Religio erga summum ac præpotentem deum casta & integra: quæ nobis patefacit aditum ad Deum ipsum, ac nos transfert ex hac mortalitate ad vitam immortalem.Huius te curam seriò suscipere decet. Atque huius quidem rei spem nobis magnam iecisti,dum in conuentu proximo Petricouiensi,rogatu & instinctu Oratorum municipalium, & quidem enumeratis multis dogmatibus,

de quibus

de quibus sunt controuersiæ apud nos, dixisti, opus esse eiusmodi colloquio, quo controuersiæ omnes sedentur, ratioque certa & constans colendi Deum ostendatur. Hoc enim prætermisso, maiores in dies dissensiones timendas esse: eorumque exitum maximè pertimescendum.

CAPVT IIII.

Conciliorum authoritas, & decreta eorum quanti facienda.

ET quamuis erant, qui eiusmodi colloquia nationi nostræ minimè conuenire putarent: scilicet concilii Tridentini decretis ad nos missis, quibus parere omnes, qui Christiani nominis sunt, necesse esset: tamen, si vera sunt, quæ de rationibus eius concilii, quibus celebratum est, dicuntur: haud sanè nefas fuerit ab eo discedere. Primùm fertur, sententias in eo numeratas esse, non ponderatas: in hocque à Pontifice Romano episcopos nouos creatos, qui multitudine vincerent meliores & doctiores. Isti, inquam, episcopi noui creabantur. cumque in Pontificis sui ære essent, ibant semper in sententiã, quam gratam illi esse sciebant; ne, si secus fecissent, æs illud eis subtraheretur. Deinde narratur nullum decretum latum fuisse, quin priùs probatum esset Pontifici: ad quem per equos dispositos mitteretur semper oraculi causâ. Multos pios & doctos viros, qui in consessu Tridentino fuerunt, id ægrè tulisse: atque non obscurè dictitasse, iniquè decreta illa spiritui sancto attribui, quæ Roma, manticis inclusa afferv rentur;

rentur; quâsi dona spiritus sancti illis affixa essent. Extat oratio typis excusa, quam orator Gallicus Guido Faber in concilio Tridentino habuit. In qua narrat quanta hominum expectatio esset de synodo Tridentina. Commemorat, synodos memoria patrum nostrorum habitas, & multas & frequentissimas fuisse. Eorum tamen fructum vix vllum, aut perexiguum Christianitati constitisse; propterea quod minùs liberæ minusque legitimæ fuisse dicerentur: Eos, qui in illis aderant, ad voluntatem alterius semper loquutos esse, aut potiùs annuisse. Hæc cùm Guido longissimè commemorasset, hortatur Patres Tridentinos meminerint officii sui: ne in censendo vel auram captent popularem, vel principibus, quib. obnoxii sunt, turpiter se venditent, vel ex aliorum dictatis & præscriptis sententiam ferāt. Hæc, & similia orator Gallicus copiosè & eleganter edisserebat: nequaquam id facturus, nisi iam tum suspicio fuisset, parùm liberè à Patribus sententias dictas esse. Itaque hortatur eos, vt, cùm synodus Tridentina ex nonnullorum fortasse conciliorum * inuidia laboraret: curent, vt omnes intelligant, veritatis disceptationem liberam omnibus & integram esse: omniaque agi non ad arbitrium alicuius, sed spiritus sancti instinctu. Etsi autem Patres admonitionem eiusmodi liberam, etsi non necessariam, fortasse & superfluam, vt ipsi loquuntur, tamen, vt à bonis viris profectam, in bonam partem acciperent, clareque profiterentur, se cuiusuis voluntatem, potentiam, cupiditatem sacrosanctæ synodi digni-

* *videtur aliquid desiderari.*

dignitati atque authoritati perpetuò posthabituros: *Verùm', quàm id re ipsa præstiterint, acta concilii testantur: Nos quantùm possumus, breuiter demonstremus. non longè abibo; nec multa conquiram. De duobus articulis, vt mos meus est, (de aliis enim aliis in libris disputaui) differam: de cœna Domini integrè populo exhibenda, & de matrimonio sacerdotibus concedendo. De illa oratio habita est in synodo ab oratore Hungarico Andrea Duditio Sbardellato: luculenta illa quidem, rerum optimarum referta, & vtilis Reip. Christianæ. De vtroque autem orator Bauaricus copiosè & dilucidè Principis sui mentem exposuit. Verùm inuentus est theologiæ doctor Casparus Cardillus, qui omni contentione negauit, calicem laicis esse permittendum. Quid autem synodus ipsa? De matrimonio interdictionem veterem confirmauit. De concessione autem calicis, integrum negotiũ ad S. D. N. retulit; qui pro sua singulari prudẽtia id efficeret, quod vtile Reipub. Christianæ, & salutare petentibus vsum calicis fore iudicaret. Quid igitur, ô Patres Tridentini? S. D. N. prudentia maior est prudentiâ synodi istius vestræ in sancto spiritu congregatæ? Si non: cur nugas istas agitis in re maximè seria? Sin etiam: quid opus synodo vestra? Fortasse aut mantica ad vos Roma non aduolarat, ex qua spiritum sanctum hauriretis: aut si erat vobis in manibus, prohibitum vobis est, ne quid ageretis, quod eleuaret sedem apostolicam vestram. Qua quidem re an non palàm feciſtis, vos ad voluntatem

* Pro Tamen.

tem creatoris vestri loquutos esse? id quod in vobis orator Gallicus verissimè reprehendit. Velim autē consideret quisque, quanti faciendum sit concilium hoc, quod non est sui potens: quod in re clarissima agnoscit inscitiam suam. Cogitur quærere prudentiorem se: ad cuius prudentiam singularem negotium totum referat; cuius prudentiam tanti facit, vt instinctum spiritus sancti prorsus repudiet. Et sunt, qui id ita interpretari audent, Concilium hoc suo decreto indicasse, authoritatem suam maiorem esse authoritate Papæ; vtpote quem executorem & quasi ministrum fecerit suorum decretorum. O præclaram interpretationem. Quid autem, si Papa maiorem sibi authoritatem à vobis hoc ipso vestro decreto concessam statuat? Vbi enim authoritas maior, quàm vbi prudentia maior est, & maior potestas faciendi quidlibet? Credo ego, suauiter risisse S. D. N. istam vestram interpretationem ab instinctu vestri spiritus profectam. Cedò, si calix est illicitus: quomodo vsum eius permittet Papa? Sin est licitus: quid opus est peti illum? Considera per Deum immortalem, Rex, ritum cœnæ dominicæ. In qua res duę conuiuis exhibentur: cibus, & potus. Cibus est corpus Christi. potus est sanguis Christi. Præscribuntur & actiones duæ rebus exhibitis consentaneæ, quæ in commemorationem conuiuatoris iubentur fieri; nempe & comedendum, & bibendum esse. Non dicitur de cibo, bibendum esse: nec de potu, comedendum esse, sed, vt cibus iubetur comedi, ita potus bibi. scilicet rebus duabus

bus actiones duæ consentaneæ accommodantur. Minimè igitur in cibo potus quærendus. sed iuxta Christi præscriptum cibus seorsim comedendus est, potus seorsim bibendus omnibus iis, qui cœnam Domini rectè & ordine velint epulari. Qui secus faxint, ii non dominicam, sed quamuis aliam cœnam peragere putandi sunt. Quòd si quis est, qui cœnam à Christo institutam non ad laicos, sed tantùm ad sacerdotes putat pertinere; is, quo iure à potu, eodem & à cibo laicos arceat, oportet. Quid est igitur, quòd synodus vsum calicis censet peti à Papa. O rem licentiosam. An non videmus, totum id fabricatum esse ad authoritatem, quæstum, honorem papalem confirmandum? Vt verè dictum esse videatur ab iis, qui Danielis, & post eum Pauli verba interpretando, aiunt, Papam summam in templo tyrannidem occupasse. Quid igitur huiusmodi decreta Tridentina consequutum est? Populus indignè fert, se sua expectatione frustratum esse. Præsbyteri irascuntur, suis infirmitatibus remedium non esse patefactum. non loquor de atheis, qui susque deque ferunt hoc, vel illo modo viuere. De iis loquor, qui sauciis animis viuunt in scortatione. Et auditur, iam nonnullis Germaniæ populis confecta esse diplomata, & concessiones, quibus potestas facta sit vtendi calicis. Cardinalem etiam, nescio quem, de latere Pontificis in Germaniam venisse scisitatum, num qui presbyteri essent qui matrimonio egerent. Scilicet rem maximè dubiam & obscuram scisitabitur Cardinalis. Opus erit sci-

scitari magno examine testium:& quidem non mediocrium,sed grauissimorum & maximèlocupletum. Nostri autem Poloni quid?Certè & ipsi non omnibus concilii decretis se volunt esse astrictos. Nam sacerdotes, cognito sibi sacerdotalium beneficiorum pluralitate interdictũ esse,non neglexerunt Romam mittere, qui peteret, interdictionem illam laxari. In quo quidem subit mirari,cur de sola pluralitate sacerdotiorum miserunt? Cur non etiam vnà de laicorum calice,aut saltem de matrimonio ordinis sui? Nesciuerunt fortasse,qui legauerunt, plebem angi, irascique ob calicem: sacerdotum maximum numerum viuere,nullo Dei metu,in scortatione? Quòd si hæc legantibus obscura non fuerunt, quid dicemus sua legatione eos spectasse, quàm auaritiam, & ambitionem:quæ bonorum morum corruptrices semper existimatæ sunt? Et hæc quidem clerici, quibus iubentibus oratores ex Polonia missi fuerant ad concilium. Populus autem quid? Aiunt,se decretis concilii illius minimè teneri. Etenim,si clerici, quibus scisscentibus oratores legabantur, non acquiescunt in decretis concilii: quid de populo putandum, quibus imprudentibus & inconsultis legabantur?Neq; ego is sum, qui decreta omnia vna litura emendanda putem. Spero enim, aliqua esse vtilia & Reipub. salutaria. sed id tamen non absurdè mihi videor dicturus, Quæ cum verbis Dei pugnantia in apertam incurrunt reprehensionem, ab iis, salua religione, discedi posse. Quod ne cui nouum & inauditum videatur: intendat

velim

velim animum in eas synodos, quę intra spacium annorum circiter sexaginta de imaginibus habitæ sunt. Primùm Leo imperator, vt conuicia Saracenorum, quibus Christianos ob imagines, tanquam idololatras, proscindebant, auerteret, synodum indixit in tribunali nouemdecem cubitorum, anno Christi 730. Quæ quidem synodus imagines tolli, & abradi: statuas demoliri iussit. Contrà Gregorius tertius seu Romæ, seu Rauennæ, anno Christi 733. concilium indixit. ac episcopis circiter mille congregatis, imagines haberi, coli, adorari iussit. Post anno Christi 755. Constantinus Copronymus, synodo episcoporum 338. Constantinopoli coacta, imagines damnauit, & fieri prohibuit. Tandem anno 788, Constantino, ac matre eius Irene imperantibus, Niceæ ab episcopis 350. synodus celebrata imagines templis restituit; easque dedicandas, salutandas, honorandas, & exosculandas esse decreuit. Quod quidem & synodus Tridentina generalis pronunciauit & Louicensis prouincialis confirmauit: cum singulari approbatione procubitus ante ipsas. Non desunt huius sententiæ & laudatores & vituperatores. Multos viros prudentes puditum est istius ipsius venerationis, tanquam idololatriam redolentis. Itaque hæc illis sententia media visa est; vt imagines quidem habendas non negent: adorandas tamen negent omnino: sed eas censeant habendas pro libris idiotarum. Nos verò aliàs de hoc, volente Deo, disputaturi sumus. Illud quidem in præsenti subit mirari, quî factum sit, vt, cùm Decalogo

Deus

Deus vetuerit, tum fieri, tum coli imagines, tot tamen synodis de illis, tanquam re maximè dubia & obscura, actum sit? Illud quoque non minùs mirum, magistros religionis adeò fuisse incogitantes, vt, cùm inter præcepta legis decem, scirent vnum esse de imaginibus: illud tamen ex suis catechesibus expunxerint. Quod autem est de concupiscentia, illud, denarii numeri supplendi causa, in duo distraxerint. eadem omnino ratione quinque * adhuc' expunge rent: & hoc de concupiscentia in sex (tot enim res, circa quas versetur concupiscentia, recensentur) diducerent. Nos verò hæc missa faciamus. quæ eò adducta sunt, vt intelligatur, non omnia concilia tanti facienda esse, vt eis * contradici non liceat'. Quid igitur, inquiet aliquis, an eius generis decreta Tridentina existimem omnia, vt vno ordine repudianda & reiicienda sint? De quo quidem quid in totum sentiam, non habeo necesse in præsentia disserere. De duobus, de quibus cœpi, pergam ampliùs dicere. In confirmanda interdictione matrimonii presbyterorum, Patres parum fuisse (vt leuissimè dicam) circumspectos, declarat hæc missio legati (si quidem vera sunt quæ narrantur) ad scrutandum, num qua necessitas sit * concedi' matrimonium. In concessione autem calicis aliò reiecta, an nouerunt seipsos, quemadmodum Pythius Apollo olim præcepit? an non faciunt suo muneri repugnantia? Imò eleuarunt ipsi munus suum. confirmarunt autem ambitiosam authoritatis pontificiæ opinionem supra concilium. Quis enim non videt,

* Pro etiam.

* Vel contradici pro contradicere: vel liceat pro possit. Hoc loquendi modo alibi etiam fortassis vtitur hic scriptor.

* Concedēdi fortasse scribere voluit auctor.

videt, plus iam positũ esse in Pontificis arbitrio, quàm concilii? Nescit concilium istud in spiritu sancto congregatum, quid agendum sit. Ille autem singulari prudentia præditus, facit quod libet. Isti interdicunt, & anathematizant. Ille laxat interdicta, & anathemata soluit. Quid igitur opus est indictione concilii, quod adeò impotens est sui? Non est dubium, quin in ipso consessu Tridentino fuerint multi viri præclari, qui hæc viderint, cognouerint, clàm reprehenderint. Verùm à multitudine contradicentium victi, palàm resistere ausi non sunt. Qui autem longiùs à periculo absunt, quid? alii rident, alii ringuntur. Ego, ne tacitus præterirem, si quid in medium afferre possem, quodam officio adductus sum. Cùm enim, tuo iussu, de essentiæ vnitate trium personarum scripsissem: non libuit in hac vna controuersia resistere. Ingrediendum mihi erat in ampliorem dissidiorum campum. Sed sint omnia decreta concilii Tridentini eiusmodi, vt eis contradici non possit: vtpote verbo Dei congruis & consentaneis. Illud nihilominus constat, de hac controuersia, quæ de Triade diuina hisce annis excitata est, nihil in eo actum esse. nisi fortè confessio simplex edita; argumenta autem contraria nec expensa, nec confutata. Huius igitur controuersiæ dirimendæ, & aliorum dissidiorum tollendorũ causa colloquium instituendum videtur; & in vniuersum doctrinæ corpus, & in disciplinam corruptam, & in vitia, quæ latissimè vagantur, inspiciendum; & remedia idonea adhibenda. Quod qui-

dem iam, tanquam proluſionem quandam, facere conſtitui.

CAPVT V.

Vitiorum quorundam Eccleſiæ enumeratio.

CLamant ſacerdotes catholici in matrimonia euangelicorum, quòd hæc videantur turpia & illicita. Interea ſibi blandiuntur: vel ſi ſint omni libidinum genere referti. Et vt turpitudinem ſuam extenuent, pingunt eam iſtis coloribus, Si non caſtè, tamen cautè. Melius eſſe, ſacerdotem ſcortari, & adulterare, quàm matrimonium contrahere: Imò minùs ſacerdotem peccare, ſi cum centum diuerſis perſonis fornicetur, quàm ſi cum vna contrahat matrimonium. Quæ autem in Deum, eiusque legem blaſphemia eſt, ſi hæc non eſt? Et ratio humana, præclarum Dei donum, refutat obſcœna iſta dicta, & lex Dei, matrimonium omne ornans titulo honeſti ac lecti immaculati, ſcortatores autem, & adulteros ad Dei iudicium relegans. Et tamen, qui has cantilenas noſtra tempeſtate (nam veteribus, quod ſciam, prorſus ignotæ ſunt) primi cecinerunt, in ſummatibus numerati ſunt, & magnis honoribus Eccleſiæ aucti & ornati. Quæſo te, Rex, an non hæ ſolæ cantilenæ, moresq;, & diſciplina ad illas inſtituta, ſint eiuſmodi, quæ cauſam præbeant iuſtiſsimam Eccleſiæ reformandæ. Incedunt in templis ſacerdotes (de iſtis loquor, qui horum rei ſunt) quorum meretrices cum ſuis ſpuriis vulgò oſtentantur. Docent è ſuggeſtis, quorum lupæ & populo notæ ſunt. quæ & veſtiuntur delicatè, &

Heb. 13.

imperant

imperant in ædibus sacerdotum, cubiculis, triclinijs. *Pueri eorum sunt tales, vt eos patrum pudeat. & vicissim patres pudet puerorum. Isti patres sunt, qui sæpe sedent iudices in maritos sacerdotes, qui eos multant, ac priuant sacerdotiis. Credas mihi, velim, sanctè affirmanti, Rex, hæc à me dici dolenter. sed tamen dici necesse est, vt cœlibatus huius, quo tantopere delectantur sacerdotes, fructum videas præclarum: vt etiam Patrum Tridentinorum interdictionis matrimonii confirmationem mireris. Nunquam cœlibatus pro virtute habitus est; qui & incontinenti perniciem afferat, & nisi propter Christum, & regnum Dei, hoc est euangelii prædicationem suscipiatur, inutilis sit. Contrà matrimonium preclarum semper habitum; quod ad naturæ propagationem institutum sit, in paradiso à Deo consecratum, in terris à Christo confirmatum. Et hoc est igitur, quod opus habet emendatione. Sed audi alia. Aiunt Catholici, vota violari ab Euangelicis. Ipsi interea parum cogitant, quid Deo promiserint in baptismo. quod votum est omnium sanctissimum. Quantum enim absunt ab eo, quòd in baptismo Sathanam eiurarunt cum superbia, ambitione, auaricia, ac vitiis omnibus? Conqueruntur Catholici, dies ieiuniorum ab hominibus statos violari. Verùm, qui hæc queruntur, multi eorum quotidie viuunt opiparè; nullum luxui, nullum ambitioni modum præstituunt. Quàm autem multa aguntur à Catholicis præpostere? Legendo, cantandoque euangelio, offerendo codice Princi-

*Pro Filii.

pi oſculaturo, quantum ab eis ceremoniarum adhibetur ? At interea ab iſtis ipſis verus intellectus & vſus euangelij negligitur, aut minimi curatur. Sacramẽto eu chariſtiæ quantus honor habetur, etiam ab hominibus ſceleratis: dum eleuatur, circumfertur, genibus incuruis adoratur ? Quæ autem interea cura, vt fructus eius ad populum redeat, vitæ emendatione, & pietate exercenda ? Nunquam vi manifeſta religio tantùm damni feciſſet, quantum fecit iſtâ impoſturâ. Præpoſterum eſt, primis neglectis, poſteriora curare. Prima & præcipua cura eſſe debet verbi Dei rectè docendi: & vſus eius ad veram fidem, & vitæ pietatem patefaciendi. Inde & ſacramentis honos verus exiſteret: & rectus illorum vſus appareret; contrà quàm hodie fit, cùm plerique omnes in ſignis hærent, & ab eis ſalutem expectant. Videntur ſacerdotes hæc myſteria in tantum honorem adduxiſſe, vt ſacerdotia eorum ſint ſplendida, & ipſi illorum cauſa magni habeantur. Hæc autem omnia agunt, cantant, orant, lingua barbara idiotis inintel
Col. 3. ligibili. Hortatur nos apoſtolus, vt nos mutuò doceamus, & cohortemur pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus. Hæc quomodo effici poſſunt, lingua barbara vigente ? Horum autem abuſuum omnium caput eſt mala miniſtrorum Eccleſiæ electio. Laborat hic ordo vitiis nonnullis. ſed & faſtu, ſuperbia, ambitione, auaricia vacuus non eſt. Haud ſcio, an in tanto ſacerdotum numero inueniatur, qui iuxta veteres canones à plebe expetitus ſit ad gerendum ſacerdotium. Omnes fere ſeſe ingerunt

ingerunt non expetiti. aliqui intrudunt se ipsos. plerique fautoribus aut rationibus non dicendis perueniunt ad beneficia sacerdotalia. De prioritate sedium quanta inter eos contentio? Etiam in conciliis de primis sessionibus multum agitatum est. Legantur historię pontificum, decretales epistolæ, gesta conciliorum. Et quid adhuc hodie agitur præcipuè, quàm, vt Pontifici Romano ambitio dominandi seruetur sarta tectaque, vt aiunt: & secundum eum omnibus patriarchis, episcopis, & aliis ecclesiarum proceribus? Est'ne autem inter hos, vt de honore, ita de docēdi munere vlla contentio? Ex ore sacerdotis, inquit Deus apud Malachiam, scientiam esse exquirendam. Christus, legans apostolos in omnes mundi plagas, iubet eos, vt annuncient euangelium omni creaturæ. Qua igitur ratione honore sacerdotali fungitur, qui, docendo euangelio, nullam Ecclesiæ operam præstat? Quo pacto in locum apostolorum se subrogat, qui eis in euangelii prædicationem non succedit? Quo autem modo primas sibi vendicat in regno Dei, qui ne postremas quidem in eo ferre videtur? Quomodo item spiritū sanctum sibi attribuere audet, qui nec in conciliis, nec extra ea, partes vllas docentis sustinet: sed otiosè regnat, docendi munere prorsus à se reiecto? Mirum certè est, in concilio Tridentino nostra memoria habito, nullum Paparum, cùm * tres, aut fortè quatuor, vnus post alium, fuerint dum celebraretur, adfuisse. Fortè aut rem sua maiestate indignam putarunt: aut rebus grauioribus occupati fue-

Malach. 2.

* *Tres fuerunt. atque inter secundum, et tertium duo, sub quibus concilium perpetuò intermißū est, interceßerunt.*

ti fuerunt: aut, vt Platina inquit, bene viuentium & sentientium censuras reformidarunt. quas in præsentes, quàm in absentes, grauiores fieri, memoria Eugenii quarti à concilio Basilienſi ob periuria, hæresim, & alia scelera damnati & in ordinem redacti eos docuit. Hæc certè omnia, vt priùs dixi, ex mala ministrorum electione proficiſci, multis viris prudentibus visum est. Quæ si bona esset, & verbo Dei consentanea, fructus melior appareret & in ipsis ministris, & in populo. Conuertat mihi pro se quisque animum ad ecclesiæ Christi rudimenta, quæ, viuis adhuc apostolis, posita sunt. Paruus erat, principiò, præter illos duodecem, numerus Christi discipulorum. Verùm, cùm ille in dies maior cresceret, excitatum est murmur Græcorum aduersus Hebræos: quòd eorum viduæ in quotidiano ministerio prætermitterentur. Est fortasse non nemo, cui hæc videatur parua diſsidii causa esse, si, demandando ministerio, gentis discrimen seruetur. Verùm apostoli spiritum Dei edocti, cùm scirent, in Christo Iesu neq; Græcum esse, neque Iudæum, nascenti malo occurrendum mox putarunt. Itaque, aduocata multitudine discipulorum, dixerunt, minimè sibi licere, vt, derelicto sermone Dei, mensis ministrarent. Quasi sic clariùs dicerent, arduum esse & laboris plenum munus docendi verbi Dei. se non posse ei sufficere, simul & ministerio mensæ. Quid ad hęc dicent sacerdotes nostrorum temporum, qui & politicæ gubernationi, & Ecclesiæ administrationi se ex æquo posse incumbere, existimant?

Non fuit tamen præsens in concilio Basilienſi Eugenius quartus.

Act. 6.

Apostoli

Apostoli, in quos vberrimè dona spiritus sancti effusa sunt, se impares vtrique oneri esse fatentur. Itaque, vt alterum omittant, sic Ecclesiam alloquuntur. Dispicite ex vobis, fratres, septem viros idoneo testimonio ornatos, plenos spiritu sancto & sapientia, quos præficiamus huic negotio. Considerandum est hoc loco, apostolos electionem permisisse Ecclesiæ; vt indignum esse videatur, si vnus aliquis arbitratu suo hoc munere fungatur. Deinde eosdem rationem eligendi præscribere; quales scilicet ministri eligendi sint: nimirum viri probatæ fidei, spiritu sancto & sapientia pleni. Quid igitur? an non diaboli artificio alterius generis electiones in Ecclesiam inuectæ esse videntur? Iam, si tales eligendi sunt, quibus cura mensarum demandetur, quales tandem illos esse oportet, qui populnm Christianum docere, & ad omne genus officii instituere debeant? Ac ne multitudo, deligendo, erret, apostoli, se negotium hoc electis mandaturos, affirmant: se verò in precibus, & ministerio sermonis assiduos fore, pollicentur. Hæc est electio ab apostolis monstrata ecclesiis. Hanc obseruatam fuisse priùs, quàm omnis ecclesiarum ordo euerteretur, etiam veteres canones testantur. Hodie verò quid illi, quorum in manibus res est, sequantur, quis nescit? In distribuendis honoribus, dignitatibus, præmiis, successionem, ac sanguinem potiùs spectant, quàm vel Dei instituta, vel naturæ informationem. Itaque sinunt eos præesse, qui inferiores sint industria: subesse, qui superiores. Hæc cùm faciunt, quomodo se,

non

non iam Deo, quem ignorare videntur, sed quomodo se naturæ, & rectæ rationi excusare possunt? Habent illi quidem sua constituta: quæ suorum conuentuum authoritate sanciuerunt. An verò lex est continuò, quod illis placet, quamuis rationi sit dissentaneum? Ornant illi sua sancita Reipub. nomine. Quid verò? an Reipub. est hoc, quod à potentioribus, vel, vt Græci loquuntur, oligarchis, sola potētia & diuitiis nixis, fertur? cùm quidem illis non Dei, sed sua gloria: non Ecclesiæ incrementa, sed sua emolumenta cordi sint? Profectò nulla statuta, nulla priuilegia valere debēt ad perniciem, & turpitudinem: sed ad salutem, & honestatem. Præscripta est ratio eligendi episcopos, & seniores Ecclesiæ à Paulo, & aliis sanctis viris. secundùm illam statuta nostra condenda essent: non secundùm nostra placita. Hæc à me dicuntur non certè lædendi alicuius causa: sed, quòd in hoc sermone sine scelere non videbantur posse præteriri. Væ autem illis, iuxta Pauli verbum, qui hæc tacent, cum maximè eorum interfit loqui, clamare, tonare. Videamus autē, quid electionem illam ab apostolis vsurpatam, & quid nostrā istam consequatur. Sermo, inquit Lucas, Dei crescebat; multiplicabatur numerus discipulorum Hierosolymæ; ingensque sacerdotum multitudo fidei obediebat. Loquitur nominatim & de sacerdotibus: quòd illi maximè omnium Christo aduersabantur. Nunc contrà, disciplina omni vetere sublata, tantùm abest, vt numerus discipulorum augeatur, vt & tota regna à Christo desciuerint:

& * nemo se per multa secula, nostrum in numerum aggregauerit. Videtur tempus illud breui instare, de quo Christus sic loquitur: Filius hominis, cum venerit, num reperturus est fidem in terra? Omnia quotidie ruunt in deterius. Confusio & hominum, & rerum omnium vbique apparet. Quæ recta sunt negligimus. quæ peruersa, cõsectamur. Si quis ad normam euangelicam vitam instituendã doceat, conuiciis proscinditur. Quis autem enumeret omnia, non iam quæ, vt sunt, ita pro vitiis habentur: sed quæ vsu quotidiano pro vitiis desita sunt haberi? Nullum est morbi genus pestilentius, quàm quod non sentitur ab iis, qui eo affecti sunt. Quòd si est eiusmodi, vt eo laborantes putent se bene valere, quis tandem medicorum ei medebitur? Certè eius generis morbi tales mihi esse videntur, vt facilius de omni dogmate controuerso concordia inter partes iniri possit, quàm, vt hi è medio tollantur, & radicitùs extirpentur. Et sunt quidem nonnulli, qui his vitiis remedia ostendant, & medicinam quærant morbis. Sed cùm, qui his laborant, & qui sibi periculum imminere existimant, opibus & clientelis maximè valeant, curationem nullam admittunt. aut enim vi, aut dolis & impostoris vias obstruunt luci veritatis. Colores quærunt. libros etiam edunt ad stabiliendum statum præsentem. Et cùm à sanctis scripturis desperant, quærunt testimonia non scripta: sed, vt aiunt, ab apostolis tradita. Deberent quidem hæc tractari in pio, sancto, libero concilio. vt quantum valeant in partẽ vtramq;, cognitio fieret.

* Lithuani, præter non paucos Africæ, Indiæ, noui orbis, Iaponis, et aliorum locorum incolas scriptori nostro in mentem non venerant.

tio fieret. Sed eius concilii dies adhuc reperta non est.

CAPVT VI.

Regis esse conuentum indicere concordiæ in Ecclesia constituendæ causa.

CVius igitur secundum Deum cura hæc est potissimùm in hac Repub. quàm tua, Rex, qui & in Rep. summam habeas potestatem, & ecclesiæ Dei sis nutritius? Sic enim Deus ecclesiam suam mœstam & quasi
Esa. 49. „ orbam & exulem alloquitur. Erunt Reges educatores
„ tui: & Reginæ educatrices tuæ. Alloquitur Deus ecclesiam suam, hoc est populum sibi credentem & veritatis suæ studiosum. vt ne desperent, vel si omnibus aduersis premantur. Pollicetur, se facturum, vt Reges, quorum maxima sit in terris benefaciendi facultas, sint educatores eius. Neque verò hæc educatio ad alimenta tantùm & curam rerum externarum pertinet; sed in primis ad alimenta spiritualia, ad fidei, cultus diuini, &
Deut. 8. bonorum morum integritatem. Non enim solo pane viuit homo: sed omni verbo per os Dei exeunte. Etsi enim ordinis sacerdotalis sit alere populum verbo Dei: eaque curare, quæ ad cultum Dei pertineant: tamen illis vel cessantibus, vel munere suo parum dextrè fungentibus, non id esse alienum officio Regis, exempla veterum Regum nouæ, & veteris ecclesiæ testantur; vt Ezechiæ, & Constantini, & aliorum, qui & concilia publica indicebant: & rebus in eis gerendis præclaram operam præstabant. De quo à nobis copiosè in libris de Ecclesia dictum est. Te verò ad similem curam incitare

citare debet maximè hoc de Trinitate diuina diſsidium ingens. quod in tuo Regno his temporibus exortum tantis creuit auctibus, vt, qui eius ſunt authores, nouam ſibi eccleſiam conſtituere putauerint. Hoc enim olim in eccleſiis Chriſtianis obſeruatum eſt, vt cùm aliqua emergebat hæreſis, aut aliquo nouo dogmate turbabatur Eccleſia, ſtatim prouincialis ſynod⁹ coiret: in qua quod nouatum eſſet, cognoſceretur, & componeretur. Hucque pertinebant ſynodi illæ prouinciales, quæ bis olim quotannis ex more habebantur: vt de iis, quæ emerſiſsent, conſultationes fierent: quæ recta eſſent confirmarent, praua corrigerent. Non eſt dubium, quin gratia ſpiritus ſancti adſutura ſit eccleſiis in ſuo nomine congregatis. Neq; olim concilia vniuerſorum cogebantur, niſi fruſtra tentatis remediis, quæ in ſynodis prouincialib. proponebantur. Tuum eſt igitur, Rex, decretum comitiale tuum exequi: conuentum nominis Sarmatici primo quoq; tempore indicere, in quo agatur & de rebus controuerſis, & de Chriſtianæ diſciplinæ moribus: omnes vocare; qui de rebus tantis dicere, iudicareque poſsint: eius rei poteſtatem omnibus facere. In primis autem iureiurando omnes aſtringere, ne quid partium cauſa dicant, agantque: neue certandi ſtudio, ſed animo veritati conſentiendi. De his nos abundè diſſeruimus in libris noſtris de Eccleſia. ex quibus, quæ neceſſaria videbuntur, peti poſsunt. Cætera conuentus ipſe definiet, & de ratione dicendi, & de iudicibus deligendis. Quod cùm

erit factum, quid impediret, quominus Constantinum, & Ezechiam imiteris Reges clarissimos? Quorum ille, cùm synodus Nicæna, eo authore, & coacta, & confecta esset, per literas certiores facit omnes de rebus gestis in concilio. In quibus literis se conseruum fuisse gloriatur, quoad omnia rectè constituerentur. Itaque & ab aliis communis episcopus vocabatur: & ipse se episcopum vocare non dubitat. quemadmodum scriptores rerum ecclesiasticarum prodiderunt. Ezechias autem qualem se præstat in hoc suo munere? Statuas conterit. serpentem æneum, cui Israëlitæ adolebant incensum, confringit. Concilium cogit. turmas sacerdotales, & Leuiticas constituit. celebritatem Paschæ denuntiat. doctoris munere fungitur. sacerdotibus, & cuncto populo, quid facto opus sit, præscribit. Hæc sunt illa principis populi Dei pulcherrima opera. quibus & se ipsum Deo probare possit operarium non pœnitendum: & populum sibi commissum formare ad vitam tum in hoc seculo virtuti congruenter degendam, tum in futuro cum beatis cœlitibus in omnem æternitatem propagandam.

Euseb. de vita Constantini lib. 4. Flacius centur. 4. col. 559.

CAPVT VII.

Impedimenta quæ conuentum, de quo sermo habetur, interturbare possint, remouentur. Et primum quidem est negotiorum Reipub. multitudo.

DVo autem videntur esse, quæ animum tuum auocare possint ab hoc opere. Primum, negotiorũ Reip. multitudo domi, forisque gerendorum. Alterum, difficultas

ficultas perficiendæ rei, quam suademus. Verùm, quod olim mulieri multarum rerum satagenti, & ob hoc auditioni verbi Dei minimè vacanti dictum est à Christo, id quoque tibi dictum putato. Solicitus quidem tu es, Rex, & pluribus rebus distineris. Verùm vnum est necessarium, quod tibi eligendum est: & quod nunquam sit à te auferundũ. Non piget me repetere, quod olim sanctissimus Rex Ezechias vsurpauit: dum & disciplinam sanctam solutam videret, & cultum Dei neglectum. Audite me, inquit, Leuitæ, & sanctificamini. Mundate domum Domini dei patrum vestrorum. auferte omnem immundiciam de sanctuario. Peccauerunt patres nostri; & fecerunt malum in conspectu Domini dei nostri. Concitatus est itaque furor Domini super Iudam, & Ierusalem. tradiditq; eos in commotionem, & in interitum, & in sibilum; sicut ipsi cernitis oculis vestris. Ergo & patres nostri corruerunt gladiis, & filii nostri, & filiæ nostræ, & coniuges captiuæ ductæ sunt propter hoc scelus. Hæc olim Ezechias instaurator cultus diuini. cuius verba & sententias si imitari velimus, an non similia dicemns nos luere ob verum Dei cultum neglectum? Certè oculis nostris cernimus, auribus nostris audimus, fines nostros hostium incursibus infestari: prouincias nobis eripi: ab exteris populis ob ignauiam nos vexari, & exibilari. Et quid restat, nisi. Sed nolo diuinare. ne quid in patriam impiè dicam. An verò hæc putamus fieri sine numine diuûm? Imò verbum est ex Dei oraculis, Regnum à gente in gentem

Luc. 10.

2. Paralip. 29.

Eccles. 10.

„ gentem transferri propter iniuſtitiã, & iniurias. Quid eſt iniuſtitia, quàm, ſi tum Deo, tum proximo non redditur, quod ipſorum eſt? Hoc igitur agendum. Quæ-
Matth. 6. rendum primùm, iuxta Chriſti verbum, regnum Dei, & iuſtitia eius; vt cætera tandem adiiciantur nobis. Prima ergo cura eſſe debet reſtituendi regni Dei in ſtatum ſuum. qua neglecta, an putamus vllas conſultationes nobis feliciter ceſſuras? Omnem regni Dei adminiſtrationem iampridem in alienam prorſus formam transformatam eſſe, ſuprà monſtrauimus. Ad extremùm, quæ de diuina maieſtate in ſcripturis tradita ſunt, ea in ſectas abierunt. Si quis nunc, idolis relictis, ad Chriſtum venire vellet, atq; in Polonia initiari cuperet: quibus nam potiùs ſe iungi putaret: Lutheranis, an Papiſtis? Trinitariis, an Trideitis? Si Chriſtus iam ad iudicandum veniret, quos, putas, pro ſuis agnoſceret? Miſerum eſt in Repub. viuere, in qua nemo vnus imperat: ſed quod vnus iubet, idem alter vetat: quod figit ille, iſte refigit. An non miſerius eſt ſponſam Chriſti, noſtram omnium matrem, eam agnoſcere, in qua multæ ſpecies religionis regnant: ac in ea homines, veritatis loco, figmenta ſua adorant? Simplex & vnica eſt oratio veritatis. Vbi igitur variæ ſunt opiniones vna de re, an ibi eſt veritas? Deformatus eſt Dei cultus in tuo regno tanta opinionum varietate, quantam cernimus omnes. De Deo immortali varii ſentiunt varia. Sic de filio eius Ieſu Chriſto mediatore noſtro. Sic de reliqua doctrina, & de omnibus ceremoniis. An igitur adhuc

huc ceſſabimus? An non res ipſa clamat, opus eſſe conſenſione: vt, quemadmodum Deus vnus eſt, mediator quoque vnus, ſic fides vna ſit, & doctrina vna? Hæc autem conſenſio quomodo conſtituenda eſt, quàm ſi tua authoritate ſynodus cogatur bonorum hominum, Dei timentium, gloriæ eius ſeruientium, & ad regnum ipſius eruditorum? Cuius quidem rei initia nonnulla aut certè maximam partem poſitam eſſe exiſtimabimus, cum, quod tu fieri per me voluiſti, ad omnes omnium eccleſiarum Chriſti nomen profitentium concertatio hæc Triadis diuinæ perlata erit. Ipſíque, cum tua, populorumque tuorum cauſa, tum Chriſtiana charitate adducti, ea dixerint, quæ maximè eis cum Chriſtiana veritate conſentire videbuntur.

CAPVT VIII.

Impedimentum difficultatis extenuatur.

SED fortè impedit te difficultas perficiendi, quod ſuademus. Id enim alterum erat, quod ſtudium tuũ remorari poſsit. De quo equidem quid dicam? Profectò, ſi ſpecies opinionum, quæ in Chriſtianitate vulgò obtruduntur, tanquam religionis noſtræ articuli, ſpectes: deſperanda mihi videtur conſenſio. ac videre mihi videor maiora certamina exoritura, ſi quiſque tueri volet, quod ſemel, veluti certa quadam animi inductione, apud ſe conſtituit. Et non tantùm opiniones præiudicatæ conſenſionem ſanctam impedirent: ſed & praua affectiones. Sunt enim plerique, qui aliqua eruditione præditi ſint, ſic affecti, vt, quemadmodum ait ille,

citiùs

citiùs donent amicis aurum, & rura, quàm cedant ingenii ostentatione. Cæterùm, si spectetur simplicitas doctrinæ à Christo traditæ & ab eius discipulis in scripta relatæ, eiusque adhibeantur iudices Dei gloriæ amantes: facilima mihi videtur fore consensio. De quo nos in præsenti loqui supersedeamus; ne quod præiudicium synodo ferre videamur. Quæ quidem synodus vtinam aliquando tandem indicatur.

CAPVT IX.
Peroratio.

NOS quidem pro nostra facultate causas exposuimus, quæ te impellant ad opus sanctissimũ. quod, petentibus oratoribus municipalibus, consentiente senatu, te facturum pollicitus es; vt conuentum eiusmodi indicas, in quo omnia, quæ tum ad doctrinam religionis nostræ, tum ad mores bonos, & sanctas leges pertineant, tractentur, & componantur. vt tandem omnes vno ore atque corde vnum sentiamus: omnes vitæ æternæ fontem agnoscamus solum verum deum, & quem ille pro salute humani generis hunc in mundum misit, Iesum Christum: omnesque in ipso Iesu Christo domino nostro, & in eius patre summo deo vnum simus, quemadmodum ipsi inter se vnum sunt. quæ quidem vnica & sola est vita æterna. Hæc enim speranda sunt ex eo conuentu, quem expectamus. Quem si tu in diem profers vlteriorem, aut (quod Deus auertat) omittis: quid tandem boni expectabimus? Indies magis ac magis circa religionem fiunt disidia maiora. Piorum

rum conſcientiæ affliguntur variis concertationibus diſtractæ. An verò non inde animorum diſiunctio maior quotidie expectatur? Eam verò an non conſequentur diſſenſiones in dies deteriores ? Quarum quidem quis tandem finis futurus? Sit ob oculos exemplum decem tribuum Iſräeliticarum; quæ, à reliquis duabus diſceſsione ſemel facta, nunquam deinceps ad eas redierunt; ſed Regem alium ſibi creauerunt: Remque aliam publicam ſibi conſtituerunt. Quid autem miri ? Certè ex grauibus offenſionibus ac diſsenſionibus odia naſcuntur inteſtina. Quæ vtcunque tacita à primo contineantur: eruptura tamen aliquando in domeſticum aliquod bellum, vicina nobis Germania, & remotior Gallia docere poſſunt. In quo quidē bello vtrum præſtaret, vincere, an vinci quis ſcit? Certè patriæ ſuerit vtrumque perquàm luctuoſum. Quæ, tantùm non videntibus nobis, diminutione nobilis prouinciæ multata eſt. An verò eandem, qualem qualem, non potiùs poſteris relinquemus, quàm nullam ? Coniecti ſumus cum patria noſtra in aleam extremi periculi. Conſilia recta rerum gerendarum partim deficiunt nos, partim impediuntur: ne ad felicem exitum progrediamur. Sæpe in luce clariſsima cæcutimus, tanquam in tenebris denſiſsimis. Tetigit nos manus armipotentis Dei. Ad hunc niſi conuertamur, pœnitentia vitæ anteactæ, nouitate vitæ deinceps agendæ, quis nos liberabit de manu vindicis ? Timendum, & maximè timendum, ne tandem eueniat, quod olim à principibus ſacerdotum,

& senioribus populi vi veritatis extortum, & his ver-
Matth. 21. » bis enuntiatum est. Malos malè perdet, & vineam suam
» elocabit aliis agricolis: qui fructum ei reddant tempo
» ribus suis. Deum supplex oro, vt tibi, Senatui, sacerdo-
tibus, & cuncto populo tuo det eam mentem, vt ea co-
gitemus, agamus, operemur, quæ spectent ad Dei
honorem, vnitatem Ecclesiæ, nostram omnium
concordiam & tranquillitatem. Amen. Vol-
borii 1565. mense Decembri.

FINIS SECVNDAE SYLVAE.

ANDREAE FRICII MODREVII SECRETARII REGII SYLVARVM LIBER TERTIVS.

DE IESV CHRISTO FILIO DEI, & hominis, eodemque deo & domino nostro.

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS PIO PAPÆ QVINTO S.D.

QVantam fecerit iacturam Respub. Christiana, Pie Papa, cõtrouersia de Triade diuina excitata, nemo pius & intelligens sine gemitu cõmemorare potest, nos autem, qui hasce incolimus terras, in

ras, in quibus hoc quasi incendium vagatur latissimè, quotidie magis experimur. Nam & ecclesię Christi antea quidem dissentientes, sed tamen fundamenti vnitatem retinentes, hiatum iam vastissimum fecerunt: & mentes hominum non stolidorum statum illum spei filiorum Dei vix tenere queunt: quædam etiam fortasse de illo deiectæ sunt. Quod quidem nos in primo libro syluarum pro facultate nostra ostendere conati sumus. Sed ecce, controuersiâ illa minimè sopita, disputationes de Christo Pinzouiorum: indagantium secundùm sanctarum literarum, vt ipsi putant, indicia, quando promissus sit, quando orbi terrarum exhibitus: ac ostenso, hominem esse illum, qui promissus, quique natus sit, concludentium, nihil illius fuisse, antequam ex Maria virgine nascereturEtsi autem Pinzouii multùm in his, vt apparet, temporis & operæ, synodis etiam aliquoties coactis, posuerunt: tamen, quia talia scrutantes possunt multa fallere: non reprehendendum esse videtur, si & nostra consideratio in his erit occupata. Quod quidem ita à nobis præstabitur, vt præiudicati nihil afferamus ad hanc quæstionem: sed, & Pinzouiorum sententiam nudè & simpliciter exponamus: &, quid contra eam dissèri possit, breuiter demonstremus; nec quicquam omnino concludamus: sed id efficere studeamus, ne quis temerè quorumuis dictis magis, quàm nostris, quæ cum ecclesia catholica consentire putamus, assentiatur. Neque verò non intelligo, nostram hanc operam in sermones alios quorundam in-

cursuram,& reprehensioni obnoxiam fore. Quibushoc persuasum esse velim,non vlla me voluptate ad hæc tractanda impulsum esse. Sed, cùm quæstiones insuetæ & nouæ quotidie exoriantur in doctrina religionis:multi requirebant religiosa pietate præditi vocem nostram; accusantes tum negligentiam nostram in rebus necessariis,tum silentium in obscuris. Huc accedit,quæstionem, quam tractare instituí, esse appendicem illius de Triade diuina;vt,cùm ad illam,Regis hortatu, manum admouerim, ab hac quoque eandem subtrahere non debeam. Cùm autem illo libro de Triade appellauerim vniuersam Christi ecclesiam, hoc est eos omnes, qui Christo nomina dederunt: visum est hoc libro te appellare,qui eius ecclesiæ capitis nomine gaudeas. Te enim & doctrinæ Christianæ in primis scientem, & virorum doctorum cateruas circa te fouentem, spero, quantùm alium neminem, hasce controuersias dirempturum : & ex sanctarum literarum adytis ea deprompturum, in quibus conscientiæ piorum conquiescant. Etsi autem habeas hîc legatos tuos viros amplissimos, qui alius post alium ampliùs annos decem in hoc Sarmatico cœlo nobiscum versantes, controuersias hasce minimè ignorare possunt: tamen, quia illi vel rebus aliis impediti,vel tractatione harum, de quibus loquimur, abs te prohibiti, nihil omnino, quod sciam, egerunt, quod ad sedandas ciusmodi contentiones faceret: non abs re mihi facere visus sum, si ipse ad te has controuersias deferrem: tibiq́ue hunc librum dicarem,

qui

qui occasionem præberet tibi eas diiudicandi: simulq; studia hæc mea exilia tibi commendarem. De quibus tu videris siniſtram opinionem concepiſſe: ac propterea iis, penes quos eſt poteſtas, edixiſſe, vt me de poſſeſſiunculis meis deijcerent: fortunis euerterent: ac extorrem facerent domo, foro, penatibus, congreſſu hominum: Hoccine eſt præmium benemeritorum? Hoccine humanum factum ſanctiſsime Pater? Quis per Deum immortalem magis meretur de Rep. quàm qui (cùm aliud non poſsit) prædicit pericula imminentia: qui & facienda præſcribit, & vitanda notat: qui liberè omnes monet officii, ea indicando, quæ ſalutem patriæ cum laude coniunctam adferant, quæ item perniciem cum turpitudine? Quis etiam in Eccleſiam, commotis rebus, plus eſt officioſus, quàm qui partibus oſtendit, quid amplectendum, quid fugiendum ſit? qui & doctrinam religionis ad lucem verbi Dei examinandam docet: & ſacramenta ſuæ integritati reſtituenda cenſet: & diſciplinam moresque correctione in primis opus habere oſtendit? De his ego ſcripſi vtinam tanta doctrina, quanta libertate, nullius veritus offenſionem. Et Regi, ipſiusque præſidibus, & tibi Papa, tuisq; ſymmyſtis, denique & cuncto populo expoſui, pro ingenii mei facultate, quæ cuiuſq; muneris eſſe videantur. Quamobrem, eſt, qui, laudando librum meum, dicat, nullum opus ſupra mille annos exiſſe in lucem præclarius. Alius, à condito orbe nullum aliud, in hoc quidem genere, vel veterum, vel recentiorum ſimile illi hactenus

editum esse, contendit. Quidam etiam, citans quædam ex libris meis, ait, me euangelicorum omnium ferè acutissimum & doctissimum. Est qui, scribendo ad
» me, Tanti, inquit, te facio, & tua scripta, Frici, vt ne syl-
» labam quidem interire velim. Non nemo etiam sic:
» Tanti ego tua omnia & feci hactenus, & etiamnum fa-
» cio, vt nullo cuiusquam præiudicio illa mihi vilescere
» patiar. Hæc illi: verè, an secus, ipsi viderint. Quid autem opus verbis, cùm liber sit in manibus? Legitur enim non tantùm Latinè, vt à me scriptus est: sed & Germanicè, & Gallicè, & Hispanicè. Pro hoc verò an non æquius erat, me abs te, si non relationem, certè actionem gratiarum referre, quàm basilicas istas edictiones & imperiosas perniciem mihi denunciantes? Si non aliud, certè Pontificatus vniuersalis, in quo quidem vobis Romanis esse omnia, negare ipse non potes, à me contra multorum voluntatem ac sententiam laudatus, inducere animum tuum debuit ad me remunerandum munere aliquo honesto & liberali potiùs, quàm ad mulctandum damnis, & exiliis; quæ pœna sceleratorum est, & impiorum: non eorum merces, qui tuentur suum officium. Non sum oblitus, à Paulo Papa eius nominis quarto simile edictum in me scriptum fuisse ad Ioannem Droieuium episcopum Wladislauiæ. Cui quidem Papæ rescripsi ego libro illi dicato de ordinibus Ecclesiæ. In quo rationem illi reddidi vitæ, & actionum mearum: simulque causas ostendi, quamobrem in me non debuerit esse immitis & adeò ferox. Assensus est

ille orationi nostræ non obscurè; nec vllam deinceps perniciem nobis machinatus est. Droicuius quoq; nihil in me cogitauit, quàm quod virum bonum & optimum Principem deceret. Post Paulum Quartum erāt, ni fallor,* Papæ duo. quibus & si fortasse nomen Fricii non erat ignotum: nullum tamen ab eis incommodum sensi, nullam iniuriam passus sum. Quos te, Pie Papa, nomini & moribus tuis respondentem, imitari magis decet, quàm, hominum malè feriatorum (non enim ignorantur à nobis) delationibus obtemperantem, edi velle exemplum in hominem cùm in Pontificatum vniuersalem, tùm in Ecclesiam, & Rempub. benè meritum: aut certè in officio suo minimè negligentem. At inquies, non hæc, quæ vel qualia à me fiunt scribunturque, in meritis numeranda esse, quibus Ecclesia rumpatur, labefiat, & conuellatur. Ego verò, vt Ecclesiam ruptam esse, labefactatam, & conuulsam non nego: ita, id opera mea commissum esse, vt negem & pernegem, necesse est. Rupta est Ecclesia, nostra memoria, primùm Lutheri placitis in vulgus editis. Huic rupturæ an non à me remedia quæsita & reperta sunt? Sunt certè libri in manibus: in quibus hæc demonstrari possunt. Rupta deinde est à Carolstadio, Zuinglio, Caluino. Huic etiam rupturæ remedia à me quæsita. & quæ reperta sunt, ea, nisi fallor, ex sententia Augustini, Ambrosii, Bertrami, Thomę, Scoti, Vielis, Eckii, & aliorum virorum doctissimorum enunciata. Non ego quidem dixi, quæ per omnia placeant ecclesiæ Romanæ: sed tamen

* *Immo Papa vnus, Pius IV. Hinc apparet, Fricium de Papis non admodum fuisse solicitum.*

men ea, quæ placeant proceribus, & doctoribus summis ecclesiæ catholicæ. cuius quidem sensus vnde magis colligendus est, quàm ex sensu talium tantorumque virorum? Quid est, per Deum immortalem, manere in officio, si hoc non est? Quid est mereri de ecclesia catholica, illa scilicet, quæ nec loco, nec tempori alligata sit, si hoc non est? Sequitur tertia ruptura ex dissensione Triadis diuinæ orta. Hanc autem quis sine grauibus querelis deflere queat? Quid enim homini Christiano ad dolorem acerbius, quid ad existimationem vniuersæ ecclesiæ turpius accidere potest, quàm, rebus perquàm benè constitutis, fundamenta quassari professionis suæ, spem concuti remissionis peccatorum, & vitæ æternæ: ea denique dici, committique, per quæ malè nomen Dei æterni audiat inter exteras nationes? Huic nos rupturæ (fateor enim quod res est) remedium nullum afferre potuimus: sed rem detulimus ad vniuersam Dei ecclesiam; ad te verò peculiariter hanc, quæ est de Iesu Christo Domino nostro. Scilicet, quod potuimus, præstitimus. Si diiudicare inter sententias contrarias possemus, faceremus & hoc perquàm libenter. Sed, vt dixi, tuum est hoc propriè, qui in cathedra apostolorum sedeas successor Petri apostoli: quique; non vnius, aut paucorum, sed multorũ hominum vsu rerum & doctrina præstantium potestatem habeas; quorum scilicet consiliis vti possis, & debeas. Tu autẽ, cùm scias, ita iusto Dei iudicio, ad manifestandos eos, qui probati sint, hæreses suscitari, vt eiusdẽ misericordia suam

ecclesiam

ecclesiam vel in mediis fluctibus non deserentis, ipsas sedari atque sopiri oporteat, te ad rem tam salutarem tamque necessariam accingere ne dubita, ac rebus collapsis opem ferre. Quod si non fiat, hiatus indies maiores timendi sunt in Christi ecclesia. In quos delapsi qui fuerint, an inde gradum reuocare poterunt, quis scit? Sed hæc adhuc auerti possunt, si rem celeriter agressus eris: ac, quod vnitati Ecclesiæ maximè sit necessarium, præstiteris. vt tuo opere præclaro Respub. Christiana lætari possit: nosque omnes, qui Christianam fidem profitemur, in eaque vna spem salutis nostræ repositam habemus, vno ore atque corde idem sentiamus, glorificantes Deum patrem nostrum, & filium eius vnicum dominum nostrum, in vnitate sancti spiritus.

ANDREAE FRICII MODREVII SYLVARVM LIBER TERTIVS, DE IESV Christo filio Dei & hominis, eodemque Deo & domino nostro.

PRAEFATIO.

*Controuersia de Triade diuina exposita, non etiam explicata, aggredimur alteram, haud scio an priori illi difficultate parem ac similem, exponere, de Iesu Christo filio Dei vnigenito, domino nostro: Rem, vt aliquis existimare possit, non magni momenti: sed quæ tamen mihi & labore constitit magno, & industria nonnulla. Diligentiam quidem certè non eam adhibui, quam requirebat tanti operis confectio. Cùm enim partim labores domestici, partim cura liberorum, partim negotia ciuilia, maximè autem frequens cursitatio domicilij quærendi causa, me sibi * vendicarunt: fit, vt his scribendis & tractandis tempora succisiua à me tribuantur. Sed*

*Pro vendicarunt.

nos, præfatione omissa, tractemus, quod instituimus. In primis autem exponamus sententiam Pinzouiorum, nostro quidem arbitratu: ne quis putet, me vel verbis illorum, vel vestigijs insistere omnino oportere. Fas enim nobis esse putamus demere quædam, alia mutare, nonnulla etiam fortasse addere. sed ita tamen, vt recitanda eorum sententia, idem spectem, quod illi, eodemque tendam. His expositis, ostendemus, quid in sententia Pinzouiorum desiderari, & quid contra eam dissèri possit.

TRACTATVS PRIMVS CONTINET expositionem Pinzouiorum sententiæ.

CAPVT I.

In quo ostenditur, Iesum Christum esse semel natum, idque in terris ex virgine Maria; nihilominus tamen esse filium Dei.

PRocedat igitur Pinzouiorum oratio ad hunc modum. Iesus Christus, filius Dei & hominis, idemq; deus & dominus noster, natus est semel: idque in terris ex Maria virgine. nec prius quicquam eius extitit, quàm ex illa nasceretur. Vt enim Deus vnus est, omnis principii, & finis expers, rerum omnium causa & principium: ita vnus suus filius ex virgine natus, tempore destinato à patre. Hic filius vnigenit⁹ est patri suo. nam & semel genitus est: & præter hunc vnicum pater alium nullum habet. nec naturam habet duplicem: sed vnam tantùm, quam ex virgine traxit spiritus sancti effectione. Hunc filium vetus testamentum promisit; nouum exhibuit. De hoc vnico sanctæ literæ loquuntur; primùm quidem in promissionibus de illo patrib⁹ factis; deinde vita eius & actionibus omnibus describendis.

Promissio-

Promiſsiones præcipuæ ſunt illæ, cùm ſemen tum mulieris, tum Abrahami promittitur; quod ſerpentis caput contriturum eſſet: & in quo gentes omnes benedicendæ eſsent. Quòd ſi Chriſtus eſt ſemen illud mulieris, vt quidem Paulus certus myſteriorum Dei interpres fatetur: vbi eius natura illa diuina, qua ſit conſubſtantialis patri? Vt enim apoſtolus in epiſtola ad Hebr. negat Melchiſedecum initium dierum, & vitæ finem habere, propterea quòd nulla mentio ſit in ſcripturis generis illius, & mortis: ita opinor, fas eſſe Chriſto detrahi id, cuius mentio non eſt in ſcripturis: præſertim eo in loco, vbi maximè eam fieri oportuit. Vbi enim, & quando mentio diuinæ eius eſſentiæ magis facienda erat, quàm in eiuſmodi promiſsionibus, quę hominem in mortem præcipitatum erecturæ eſſent ad ſpem vitæ æternæ? Et quemadmodum primis parentibus, & Abrahamo ſemen promiſsum eſt: ita deinde Moſi, & Iſraëlitis Propheta. Sic enim Deus loquitur ad Moſen: Prophetam ſuſcitabo illis (Iſraëlitis) de mediofratrum ſuorum, ſicut tu; & ponam verba mea in ore eius. Quaſi clariùs ſic diceret, Per illum loquar; eiq; ſuggeram, quod dicat. Erit enim interpres voluntatis meæ. Hanc prædictionem de Chriſto intelligendam eſſe, & Petrus teſtatur Act. 3. & Stephanus Act. 7. Erit, inquit, ſicut tu. Id autem eſt, ſimilis tui. Num qua autem ſignificatio in hac ipſa prædictione naturæ Chriſti diuinæ, quæ ſit deo patri conſubſtantialis? Multa loca ſunt in prophetis, & in pſalmis, quib. Chriſti tum natiuitas, tum mors,

1. Gen. 3, & 22. Eſa. 11. Gal. 3. & 4. Hebr. 7. Deut. 18.

ad 2 tum

tùm aliæ actiones describuntur. In quibus tamen nullum verbum est, quo insignitè Christi natura diuina Deo consubstantialis significetur. Esaias quidem ait,
Esa. 9. paruulum natum, & filium datum esse nobis: eumque vocatum iri deum fortem. Verùm non dicit Deum, qui ante fuisset, vocandum esse hominem: sed potiùs, hominem illum vocatum iri deum. In quo verbo nec æternitas illius diuinæ naturæ, qua cum humanitate coniungeretur, nec consubstantialitas cum Deo patre apparet.

2. Et quemadmodum in vetere testamento promissiones erant de semine nascituro: ita in nouo de eodem iam nato extant testimonia. Paulus ait, illum ex semi-
Rom. 1. ne Dauidis factum esse: potenterque declaratum filium Dei per spiritum sanctificum, dum ex mortuis resurrexit. Eum, inquam, qui ex semine Dauidis ortus est, declaratum esse filium Dei. Quod quidem & symbolo, quod vocant apostolicum, luculentissimè declaratur. Quòd sic ad verbum sonat, Credo in deum patrem omnipotentem, creatorem cœli, & terræ: & in Iesum Christum, filium eius vnicum, dominum nostrum. qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus, crucifixus, mortuus, sepultus. Non'ne his verbis vocat filium Dei vnicum, illum eundem, qui de spiritu sancto conceptus sit, & ex virgine Maria natus? Nulla hîc est mentio natiuitatis illius æternæ, qua filius nasceretur ex patre: sed illius tantùm, qua filius Dei ex Maria natus est. In symbolo quidem Nicæno perscriptum ex-

tat,

tat, Iesum Christum filium Dei vnigenitum ex patre natum esse ante omnia secula. Sed hoc & sine testimonio dicitur: & haud scio, an non cedere debeat authoritati symboli illius apostolici. quod, cùm summam doctrinæ cœlestis comprehendat, appellatum est cùm articulorum fidei Christianæ, tum symboli apostolici nomine. In quo scilicet apostoli in totum orbem terrarum ad prædicandum Euangelium de Iesu Christo missi, consensionem priùs fecissent, quàm singuli in singulas prouincias discessissent. Vbi igitur generationis illius æternæ, vbi consubstantialitatis filii cum patre mentio magis facienda erat, quàm in ea collectione, & sententiarum enumeratione, quæ fundamentum esset doctrinæ apostolicæ? Quòd si in sacris literis locus ab authoritate negatiuè vsurpatus firmus est: id quod suprà, commemorando Melchisedeci genere, demonstratum est: vel, vt clariùs loquar, si cuius in sanctis literis mentio facta est nulla, id affirmare temeritatis sit, & dementiæ, non sit profectò ille audiendus, qui Nicæna decreta nulla ratione nullaque authoritate fulta præferat apostolicæ sententiæ certæ atque firmæ & cum oraculis diuinis congruente.

Sed operæ pretium fuerit Christi vitam per continuos ætatum successus, & per actiones eius præcipuas inspicere. Su mamus initium à præconio natiuitatis eius. Ecce, inquit angelus ad Mariam, concipies in vtero, & paries filium; & vocabis nomen eius Iesus. Hic erit magnus; & filius Altissimi vocabitur. Et paulò 3. « Luc. 1.

» post, Quod, inquit, nascetur ex te sanctum, vocabitur
» filius Dei. Porrò, cùm constet, ex Maria non naturam diuinam, sed hominem Iesum natum esse: sequitur, hûc ipsum hominem esse, & dici filium Dei. Quid est enim, quod concepit Maria, quid peperit? Non'ne homo ipse*? Diuinæ enim immortali naturæ minimè competit ex homine mortali nasci. Expendamus totius legationis modum, & rationem. Pater cœlestis est, qui legauit angelum nunciaturum virgini natiuitatem filij sui. Angelus virgini, cui animus esset firmus nunquam violare pudorem virgineum, rationem pariendi scisciitanti, exponit: spiritum sanctum superuenturum in eam, & virtutem Altissimi inumbraturam illi. De filii illius æterni, qui ex patre ab æterno natus esset, operatione, aut cooperatione nulla hîc mentio. Quòd si erat iam aliquis eius nominis: non'ne oportuit in legatione exponi, quid & ille operaturus esset? Nam duorum muneribus expositis, si quis tertius eius ordinis esset, ipsius quoque munus exponendum fuerat. Atqui de illo tertio non aliud dicitur, quàm esse nasciturum. Non igitur tum filius Dei fuerat. sed tum primùm apparuit mundo, cùm ex virgine natus est. Quem quidem nuntius dixit in futuro vocandum esse filium Dei, non ob eam causam, quòd filius Dei ab æterno natus vniendus ei esset: sed quòd nasciturus esset virtute Altissimi obumbrante, & spiritu sancto superueniente.

* Est scilicet, quod natum est ex Maria, quodq; peperit.

4. Describenda tandem Christi natiuitate sic pergit
Matth. 1. » historia euangelica. Cùm mater eius Maria desponsa esset

esset viro, antequam conuenirent, deprehensa est gra- "
uida è spiritu sancto. Et paulò pòst: Et non cognouit e- "
am, donec peperit filium suum primogenitum. & vo- "
cauit nomen eius Iesum. Alius euangelista sic narrat: " Luc. 2.
Completis diebus pariendi, peperit Maria filium suum "
primogenitum, ac fasciis eum inuoluit, reclinauitque "
eum in præsepi. An verbum aliquod hîc est, quod Chri "
sti naturam diuinam patri coëssentialem indicaret? Se-
quitur postea circumcisio, & magorum orientalium
aduentus adorantiũ Regem natum, more scilicet Per-
sico (authore Caluino) & donaei ferentium: nimirum
fructus terræ, quem terrenum esse putabant. Deinde
fuga parentum cum illo in Aegyptum, & inde reditus
in Iudæam an quam diuinæ illius naturæ speciem præ
se ferunt? Iam quid illud est, cùm in templo inter magi- Luc. 2.
stros sedens, matri, & patri expostulantibus ob sui de-
sertionem sic respondet, Quorsum, inquiens, me quæ- "
batis? an nesciebatis, mihi agenda esse patris mei ne- "
gotia? Cur patris tantùm meminit? an non & ipsiusmet "
negotia illa fuere: si quidem persona illa, quę cum patre
vnitate essentiæ coniuncta est, in illo erat? Interea dici- Ibidem.
tur Iesus profeciisse sapientia, & ætate, & gratia tum a-
pud Deum, tum apud homines. Quemadmodum & Esa. 11.
Esaias, de Christo vaticinans, dicit, in eo requieturum
spiritum Domini, spiritum sapientiæ & intelligentiæ,
spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiæ & ti-
moris Domini. Quid hoc ad diuinam eius naturam?
Nam si humanitas Christi in vnitatem personæ dei as-
sumpta

sumpta esset: certè & in gratiam & in sapientiam dei
* Pro assumpta fuisset. * assumeretur', nec opus erat ei corroborari, aut spiritu impleri. nec egebat spiritu sapientiæ & intelligentiæ: cùm hæc omnia persona dei cumulatè in se haberet. In baptismo Christi manifestè cernuntur tres personæ. Pa
» tris quidem, in voce, quæ de cœlo talis extitit: Hic est
» filius meus dilectus, qui mihi acceptus est: spiritus autem sancti in specie columbina, quæ ei supersedit. Iesu persona, quæ diuinam significationem aliquam daret, nulla hîc cernitur. Qui verò apparet, & qui baptizatur, homo est. de quo vox patris audiebatur, esse filiũ Dei. Homo igitur ille est filius Dei; nec alius in eo quærendus est. Tentationes Christi in deserto, mors quoque eius nihil habent, quod arguat diuinam eius naturam. Solus Christus homo in eis agit; solus loquitur; solus patitur. Resurrectionem Christi à morte Deus effeci-
» se memoratur multis in locis scripturæ. Gal. 1. Paulus
» apostolus per Iesum Christum, & deum patrem, qui e-
» um excitauit à mortuis. 1. Thes. 1. Vt viuenti seruire-
» tis Deo, & eius filium ex cœlis expectaretis, quem ex
» mortuis excitauit, Iesum; qui nos à futuro supplicio de-
» fendit. Act. 1, & 3. Hunc Iesum Deus suscitauit à mor-
» tuis; cuius nos omnes sumus testes. Idẽ habetur Rom. 4, 1. Cor. 6. & 15, 2. Cor. 4. Cur, quæso, non se quoque excitasse dicitur, si quidem natura illa patri consubstantialis vnita est in eo humanitati? Et dicit quidem Christus Ioan. 10. potestatem se habere ponendi animam suam, & rursum eam ponendi. sed mox addit, hoc

præce-

præceptum se accepisse à patre suo: significans, potestatem se hanc accepisse à patre. Itaque Paulus Rom. 10. dicit, quòd, si ore confiteamur dominum Iesum, & corde credamus, Deum excitasse illum à mortuis, saluos nos fore. Et hucusque quidem actiones Christi præcipuæ descriptæ sunt per omnes gradus vitæ ipsius. Quid multa? Paulus non alium nouit Christum, quàm illum, qui passus est, mortuus, sepultus, à morte suscitatus: eundemque illum hominem esse affirmat. Christus, inquit, suscitatus est ex mortuis: primitiæ eorum, qui obdormierunt. Postquam enim per hominem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum. Præclara est oratio Pauli, qua Timotheum hortatur ad considerationem, & intelligentiam eorum, quæ dicerentur de Christi resurrectione, deque ortu ipsius ex semine Dauidis. Considera, inquit, quæ dico; Dominus verò det tibi intelligentiam in omnibus. Memento Iesum Christum resurrexisse ex mortuis, qui est ex semine Dauid secundum euangelium meum. Vocat Paulus euangelium suum de Iesu Christo à morte resuscitato & Dauide prognato. Sed & post resurrectionẽ Deus eum summopere extulisse dicitur, & ei nomen dedisse omnium nominum summum: ad quod se genu omne flectat cœlestium, terrestrium, & subterraneorum. Cur non se ipse etiam extulit? In dextera quoque dei patris consedit Col. 3. & non alicuius alterius. Postremò de iudicio extremo sic narrat Paulus Act. 17. Statuit Deus diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia

1. Cor. 15. & 2.

« 1. Cor. 15.

« 2. Tim. 2.

Phil. 2.

per eum virum, quem definiuit, fide omnibus præstita, cùm eum excitauit à mortuis. Clarè hîc dicitur Deus iudicaturus orbem per Christum. Erit igitur Christus minister alieni operis. At si & ipse deus esset par patri, non alieni tantùm operis administer esset, sed effector & sui.

5. Hactenus Christum æstimauimus ex actionibus præcipuis vitæ ipsius, secundùm ætatis eius progressionem. Recitemus quædam alia dicta, factaque sua, ex quib. magis perspicuum fiat, quod propositum est. Scripsit Ioannes historiam de cœco nato luculentè, cuius Iesus aperuit oculos: & de Pharisæorum extrema cœcitate cum summa malicia coniuncta, deformantium opus illud Christi: & à Christo cùm cœcum illum, tum omnes homines abducentium. ac historiam illam concludendo, scripsit his verbis. Cùm inuenisset Iesus hominem illum iam videntem dixit ei, Tu'ne credis in filium Dei? Respondit ille, Quis est, domine, vt credam in eum? Dixit ei Iesus, Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo, Domine, & adorauit eum. Non'ne Christus his verbis describit, filium Dei eum esse, qui sit visibilis, & qui loquatur cum hominibus? Igitur de illo visibili ex virgine nato rectè dicitur, esse filium Dei.

Ioan. 9.

6. Repetamus & alia dicta Christi quædam, quæ ab Euangelistis memorantur, Cœpit Iesus, inquiunt, tristis fieri, & grauissimè angi. Et dixit ad discipulos, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Nunc anima mea turbata

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

turbata est. Et quid dicam? Pater conserua me ab hac « Ioan. 12.
hora. Et illud ter repetitum, Pater omnia possibilia «
sunt tibi, auser poculum hoc à me. Apparuit autem ei «
angelus de cœlo corroborans eum. Et anxietate corre- «
ptus prolixiùs orabat. Et erat sudor eius, sicut guttæ «
sanguinis decurrentis in terram. An est in his tum ver- «
bis Christi, tum actionibus vlla significatio diuinæ na-
turæ? Oratio autem illa, ac potiùs vel conquestio vel
expostulatio cum Deo, Deus meus, cur me dereliqui- «
sti, an ei competit, in quo est diuina natura Deo patri «
consubstantialis? Cùm enim Christus ad hunc modum
expostulat cum deo patre, cum sua quoque diuinitate
expostularet: si quidem ea, essentialiter cum patris na-
tura vna, vniretur cum Christi humanitate. A qua qui-
dem diuinitate sua quomodo desereretur? Quid quòd
persona Christi vna est: & ea quidem, vt dicunt, qui con
tra hæc disserunt, diuina? Cùm autem actiones perso-
nis tribuantur non naturis: sequitur, vt hæc expostula-
tio tribuenda sit naturæ diuinæ. Hæc autem quomodo
à natura diuina seu sua seu paterna deserta esse intelli-
genda sit? Illud quoque ex eadem historia adducamus.
Christus moribundus sic alloquitur patrem. Pater in « Luc. 23.
manus tuas commendo spiritum meum. Cur nō simul «
commendat filio Dei: cuius in se naturam diuinam esse
sciret consubstantialem patri? Nemo propior illi fuit,
quàm qui vnitus illi sit in personæ vnitate. Dato vno
inconuenienti, vt est vetus verbum, sequuntur plura.
profectò & hanc rerum incōuenientium inter se vnio-

nem talia & tanta absurda concomitantur, qualia & quanta nemo dicendo explicare queat.

7. Iam, quòd Christus vni deo patri gratias agit, quòd ad solum illum preces fundit, quòd solius illius opem implorat: an non satis ostendit, se illum solum deum agnoscere? nec sibi quicquam essentiæ diuinæ tribue-

Ioan. 14. » re? De operibus suis sic Christus ipse loquitur: Ego in
» patre sum, & pater in me est. Verba, quæ loquor, à me
» ipso non loquor: sed pater, in me manens, ipse facit o-
» pera. Cur non dicit, se etiam deitatis sibi vnitæ virtu-

Act. 2. » te operari? Quod & Petrus ita extulit: Iesus ille Naza-
» renus vir à Deo approbatus præstantibus factis, & pro-
» digiis, & signis, quæ edidit per eum Deus. Cur non dicit ipsum sua diuinitate edidisse illa prodigia? Alibi i-

Act. 10. » dem Petrus sic: Iesum Nazarenum vnxit Deus spiritu
» sancto, & virtute. qui obambulãs, beneficiis afficiebat,
» & sanabat omnes à diabolo oppressos; quoniam Deus
» erat cum illo. Cur non dicit, deum illi vnitum fuisse: si quidem deus incarnatus est, & de cœlo descendit, vt sibi vniret Iesum hominem?

8. Oratio illa à Christo ter repetita, Pater, si vis, trans-

Luc. 22. » fer à me calicem istum, quid sibi vult? An non his ver-
» bis apertè Christus fatetur, se totum à patre pendere? Addit enim, verumtamen, ô pater, non quod ego volo, sed quod tu, id fiat. Si in Christo est diuina natura patri consubstantialis, cur non vicissim audit à patre, Tui est hoc arbitratus, fili. fiat id, quod tibi libeat cumque. Quid multa? Non ne Christus totum id, quicquid est, &

est, & quicquid facit, deo patri fert acceptum: nullam interea faciens mentionem deitatis sibi vnitæ? Sic enim loquitur. Non potest filius à semetipso operari, nisi « Ioan. 5.
viderit patrem operantem. Quæcunque enim ille fa- «
cit, hæc etiam filius pariter facit. Pater enim diligit fi- «
lium: & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Sicut e- «
nim pater suscitat mortuos, & viuificat: ita & filius. Et «
sicut pater habet vitam in se ipso: ita & filio dedit habe- «
re vitam in se ipso. Et potestatem ei dedit iudicii faci- «
endi: quia filius hominis est. Non possum à meipso fa- «
cere quicquam. Sicut audio, iudico, & iudicium me- «
um iustum est. quia non quæro voluntatem meam, sed «
voluntatem patris, qui misit me. Et alibi, Omnia, quæ « Ioan. 15.
audiui à patre, nota feci vobis. Item, Data mihi est om- « Matth. vlt.
nis potestas in cœlo, & in terra. Hæc verba sunt Chri- «
sti tribuentis deo patri omnia, & vitam suam, & doctri-
nam, & potestatem tum suscitandi mortuos, tum iudi-
cii faciendi: denique opera omnia, quæcunque faciat.
Interea nullam mentionem facit deitatis sibi vnitæ: fa-
cturus haud dubiè, si qua esset eiusmodi, qua patri con-
substantialis esset. Illud autem an non singulari consi-
deratione dignum est? Omnes ætatis progressiones Chri-
sti, omnesque actiones eius testes locupletes habuere.
sola incarnatio filii Dei, qui logos dicitur, testimonio
omni caret. Annuntiatio Christi nascituri per angelum
nuntium Mariæ facta est. Conceptio eius, eodem ange
lo internuntio, patefacta: fluctuationibus ex animo Io-
sephi clam Mariam deserere cogitantis, exemptis. Nati-

uitas & angelis, & pastoribus, & Magis testibus mundo inclaruit. Quid hîc de descensu filii Dei in vterum virginis, quid de vnione cum natura humana ex virgine assumpta? Atqui res non ita magnæ, vt præsepe, in quo infans positus fuerat, vt fasciæ quibus inuoluebatur, vt fuga in Aegyptum, ab Euāgelistis diligenter descriptæ sunt. Aliæ quoq; Christi actiones testibus non carent. Quis autem incarnationis Iogi meminit? Baptismus Christi, vita, doctrina, miracula, mors, resurrectio, ascensus in cœlum, & angelorum, & hominum testimonio non caruerunt. Transfiguratio quoque, res noua & inaudita, cùm apostoli, timore perculsi, in faciem caderent, & testes habuit suos, & voce cœlestis patris, ac spiritus sancti columbina specie descensu illustrata est. Nihil Christus fecit, nihil dixit occultè. In hocque apostolos selegerat, vt non tantùm essent propagatores doctrinæ cœlestis: sed & testes forent Christo non so-
Act. 1. lùm in Iudæa, sed vsque ad extrema terræ. Et hæc quidem ex nouo Testamento. Ex veteri autem pro multis illud satis sit. Deus legem laturus in monte Syna, quot & quantis & quàm terrificis signis descensum suum or-
Exo. 19. bi patefecit? Fumus, tanquam ex fornace, ascendebat ex monte. Nubes densa abscondebat solem. Buccina clangorem fundebat vastum. Tonitruis, fragoribus, corruscationibus tremebat tellus. Ipse Dominus descendebat in igne. Hæc tunc gesta sunt, vt mundo vniuerso perspicuum fieret, legislatorem illum è cœlo descendisse, qui leges erat laturus. Quid simile in descen-

su filii Dei in virginis vterum? Rem haud scio an creditu difficiliorem, quàm fuerat illa legum latio. Erat enim coniunctio futura æterni cum temporaneo, incorruptibilis cum corruptibili, infiniti cum finito. hoc est, vt vno verbo dicatur, creatoris cum creatura. Quis igitur descensum hunc descripsit? Quis apostolorum, quis prophetarum, quis angelorum meminit incarnationis filii Dei illius, qui ab æterno logos fuit? quis vnionis illius mirificæ Dei cum homine? Vt mirum sit, enarratores quosdam, doctos alioqui & eloquentes viros, interpretandis verbis angeli, quibus Christi natiuitas virgini nunciata est, ausos esse de hac filii æterni cum homine ex Maria nato coniunctione vllam facere mentionem. certe non ex eiusdem angeli verbis, nec ex fontibus oraculorum Dei occasione accepta: sed ex turbidis sophistarum lacunis materia sumpta. Quid illud? Apostolus ex professo de Christi excellentia tractans, æstimat eum angelis præstantiorem esse. primùm quidem, quòd multò præ illis præstantius nomen sortitus sit; nempe filii Dei. deinde, quòd angeli iussi sunt eum adorare. tum, quòd cuncta regens virga rectitudinis iustitiam diligat, iniquitatem odio habeat: propterea quę vnctus à Deo sit vltra alios consortes suos. ad hæc, quòd Deus eum ad dexteram suam collocauerit. Quid autem hîc de generatione eius æterna ex patris substantia? quid de vnione cum natura humana? Heb. 1.

CAPVT

CAPVT II.

Ratio explicatur filiationis Christi, Dei respectu.

SIt igitur hoc concluſum, Chriſtum vnam naturam habere ex virgine Maria ſumptam; ſecundùm quam ſit, & vocetur filius Dei. Quod Paulum affirmare, ſu-

Rom. 1. » prà oſtendimus his verbis ipſius. Paulus apoſtolus ſe-
» gregatus ad euangelium Dei, quod promiſit per pro-
» phetas ſuos de filio ſuo facto ex ſemine Dauidis ſecun-
» dùm carnem. Non'ne his verbis planè affirmat, eum eſ-
ſe filium Dei, qui ſecundùm carnem ex ſemine Dauidis natus ſit? Homo igitur ille, Ieſus Chriſtus, eſt verus filius Dei. Quòd ſi cui abſurdum eſſe videatur, eum ſcru-

Ioan. 5. tari ſcripturas oportet; quòd illæ ſint, quæ de Chriſto teſtificentur. Quod autem locupletius teſtimonium afferri poteſt, quàm angeli, cùm apud Mariam hæc facit

Luc. 1. » verba? Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Al-
» tiſsimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex
» te ſanctum: vocabitur filius Dei. Ecce angelus ait, vocatum iri filium Dei id, quod ex Maria naſciturum ſit. Et cauſam huius appellationis prępoſuit, quòd ſpiritus ſanctus ſuper eam venturus eſſet: & virtus Altiſsimi illi obumbratura. Virtus igitur Altiſsimi, ex ſubſtantia virginis carnē procreans, vicem patris generātis ſupplebat. Sicut enim in humanis, quod ex patre & matre naſcitur, proles eſt vtriuſque, tam patris, quàm matris: ita in hoc partu ſanctiſsimo Ieſus Chriſtus ex Maria, & virtute Dei natus, filius eſt & Mariæ, & Dei. Hoc ipſum idem angelus confirmat ad Ioſephum, vnde Maria vterum ferret, neſcien-

ret, nescientem, ac propterea clam eam repudiare volentem, sic verba faciens: Ioseph fili Dauidis ne timete « Matth. 1.
asciscere Mariam vxorem tuam. nam quod in ea genitum est, ex spiritu sancto est. Cùm enim Ioseph, ex semine viri Mariam grauidam esse factam opinanti, eam opinionem ex animo eius euellere vellet: spiritum sanctum, ex quo illa concepisset, opposuit: apertè declarans, virginem pro semine viri habuisse effectionem, spiritus sancti. ex quo peperit filium Dei Iesum Christum. Verè igitur, & propriè Iesus Christus ex virgine natus, & Dei, & hominis filius est, & dicitur. Nihil autem refert, dicat quis factum, aut genitum esse. Certè, quod generatur, fit: & quod genitum est, factum est. Itaque & verbum dicitur caro factum esse, non obstante quòd & genitum esse dicatur.

CAPVT III.

Coniunctionem diuinæ, & humanæ naturæ in vna persona Christi impossibilem esse, & authoritate scripturæ minimè probari posse, ostenditur.

HAec sententia multò est verior, clarior & apertior, quàm illa de duarũ naturarum in vna persona coniunctione. De qua quid sentiant magistri sacræ scripturæ, Petrus Lombardus demonstrat; qui eorum sententias perquàm diligenter collegit lib. 3. sent. distinct. 5, & 6, & seqq. Sed sententiæ illæ diuersæ sunt, ac potiùs contrariæ. Non tantùm enim, inquit idem Lombardus « distin. 5. § 1. alii ab aliis, verùm & iidem à seipsis dissonare videntur. Hoc affirmat Lombardus, probatque, «

cc multis

multis sententiis afferendis; quas apud eum legi licet. Citat verba Augustini ex lib. de fide ad Petrum c. 16. » quæ sic habent· Deus verbum non accepit personam » hominis, sed naturam; & in æternam personam diuini- » tatis accepit temporalem substantiam carnis. Hoc ne cui absurdum videatur, propterea quòd caro hominis * Propositi. iuncta animæ rationali personalitate carere non * posi- » sint. Augustin. eodem in lib. c. 18. addit· Firmissimè te- » ne, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine di- » uinitate conceptam in vtero virginis, priùs quàm susci » peretur à verbo, sed ipsum verbum deum suæ carnis ac- » ceptione conceptum: ipsamque carnem, verbi incarna- » tione, conceptam. Idem eodem in lib. cap. 2. ferè in me- » dio sic inquit· Natura æterna atque diuina temporali- » ter nasci ex natura humana non posset, nisi, secundùm » susceptionem veritatis humanæ, veram temporaliter » conceptionem, atque natiuitatem ineffabilis in se diui- » nitas accepisset. Sic est deus æternus ac verus veraci- » ter, secundum tempus, & conceptus, & natus ex virgi- » ne. Hæc Augustini verba disertè de natura diuina so- nant. vt mirum sit, Petrum Lombardum velle ea intel- ligi de persona; quam sine dubitatione & de patre, & de matre natam esse dici debere, affirmat sent. 3. d. 8. §. 1. Haud scio, an non clariùs hoc ab enarratore doctissi- moatque eloquentissimo Theodoro Beza explicetur » his verbis· Spiritus sanctus à patre, & filio vnigenito » procedens, carnem nõ gignit ex sese; sed creat è selectæ » virginis substantia. Cui deinde animam indit: vtramq;

ipse

ipse sua vi sanctificans. Cui deinde(eodem tamen momento) æternus ille dei patris filius deus in vnam eandemque personam coniungitur. Ita scilicet, vt nec deus in hominem, nec homo in deum mutetur: nec rursus duo Christi constituantur: quorum vnus sit Dei, alter Mariæ filius: sed vnus sit filius Dei in carne manifestatus, vt vnus inter Deum, & hominem mediator. Sic ille. Etsi autem hæc dicantur concinnè: tamen animus suspensus hæret, quomodo non sint ibi duæ personæ. Nam, filium Dei personalitatem suam retinere, fatentur omnes. Carnem verò Christi, quæ singularis est, & animam, quæ singularis quoq; est, cùm sint vnà coniunctæ, non constituere personam, nec ratione comprehendi potest, nec scripturæ authoritate comprobari. Illud verò Lombardi, qui naturã ait non nasci, sed personam, quis intelligit? Quis ue pro natura interpretatur personam, vt ipse facit? Itaq; Augustinus de Trin. lib. 13. c. 19. Cùm, inquit, lego, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, in verbo intelligo verum filium Dei. in carne agnosco verum hominis filium; & vtrumque simul in vna persona dei, & hominis ineffabili gratiæ largitate coniunctum. Affirmat Augustinus, alia re filium Dei, aliare filium hominis se intelligere. Et, vt illæ res duæ sunt, non vna: ita filios duos esse debere. Vtrumque tamen filium in vna persona dei, & hominis coniunctum. Quomodo verò, vbi duo filii sunt, ibi non sint duæ personæ? Scilicet non potuit Augustinus absurditatem vitare, nisi vnam personam dei, & ho-

minis esse dixisset; manifesta quidem contradictionis implicatione: cum duo filii sine suis subsistentiis nec esse possint, nec intelligi. Et certè nihil coniungitur sibi ipsi. sed si quid alicui coniungitur, aliud est, quod coniungitur, aliud, cui cõiungitur. Cùm igitur Augustinus dicat, filium Dei coniunctum esse filio hominis, necesse est eum dicere, alium esse filium Dei, alium filium hominis. Duo igitur sunt filii, alter Dei, qui coniungit sibi filium hominis: alter hominis, qui coniunctus est filio Dei. Sed & alio in loco, tractans de missione filii Dei in hunc mundum, sic loquitur lib. de Trin. 2. cap. 5. Pater inuisibilis vnà cum filio secum inuisibili, eundem filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est. Qui si eo modo visibilis fieret, vt cum patre inuisibilis esse desineret, id est, si substantia inuisibilis verbi in creaturam visibilem mutata & transiens verteretur: ita missus à patre intelligeretur filius, vt tantùm missus, non etiam cum pâtre mittens, intelligeretur. Cùm verò sic accepta est forma serui, vt maneret incorruptibilis forma dei, manifestum est, quòd à patre, & filio non apparentibus factum sit, quod apparet in filio. Id est, vt ab inuisibili patre cum inuisibili filio & ipse filius visibilis mitteretur. Hæc ille. Non immeritò autem aliquis miretur, quomodo vnus & idem sit filius mittens, & missus; propterea quòd ille inuisibilis sit, iste visibilis. Nam neque contraria verè dici possunt simul de vno & eodem; neque quisquam mittere dicitur se ipsum: nisi fortè per aliquem tropum. Simpliciter verò loquen-

Sent. 1. d. 16. §Quòd autem à se mittatur.

loquendo,alius est semper mittens,alius, qui mittitur. Quod si nõ vnus est mittens cum misso,inuisibilis cum visibili:duo igitur erunt,non vnus filius.Nota est fabula Platonis de Gyge,qui nactus annulum aureum, nescio cuiusmodi, palæ eius annuli ad palmam conuersione inuisibilis reddebatur; rursus collocatione eius in suum locum visibilis fiebat. Ecquis diceret, Gygem inuisibilem mittere seipsum visibilem? Quis item,eum visibilem, & inuisibilem simul & semel fuisse, affirmaret? nam, si hæc simul Gygi competerent, non iam vnus esset,sed duo. Ad eundem modum, si filius Dei simul & semel visibilis est & inuisibilis, missus & mittens: omnino duo sint necesse est,non vnus.Duæ igitur personæ sunt,non vna.Quòd si hoc absurdè & inerudite dicitur, quid restat aliud, quàm, vt cofiteamur, non duas esse personas Christi, sed vnam? Vnum igitur Christum virginis Marię filium,qui idem sit filius Dei. locaque,quæ de filio Dei loquuntur,propriè accipienda esse; hoc est de eo filio Dei, qui idem sit filius virginis, homo Christus Iesus.

CAPVT IIII.

De communicatione Idiomatum.

QVid igitur sit sentiendum de communicatione idiomatũ,videndum.De qua theologi tractant. sent. lib. 3. d. 7.Cùm enim natura diuina, & humana vniantur in vno supposito, fit, vt etiam proprietates illarum vniantur, id est, communicentur:ita quidem, vt,quod vnius naturæ proprium est, tribuatur alteri propter il-

larum vnionem. Hoc modo mori, pati, crucifigi, sanguinem fundere, quæ propriè sunt naturæ humanæ, tribuuntur diuinæ. Sic enim Paulus loquitur Act. 20. deum pro nobis sanguinem effudisse. Item, dominum gloriæ crucifixum esse 1. Cor. 2. Et hoc est fundamentum eius communicationis, de qua loquimur. Sed quàm sit fragile & ruinosum, animaduertendum est. Fert quidem hoc vsus loquentium, vt, quod partis est, ad totum transferatur: verùm, quod partis vnius est, ad alteram deriuari, minimè congruit. Non'ne anima in homine iuncta est corpori? illa immaterialis, ratione prædita, incorruptibilis: hoc materiale, rationis expers, corruptioni obnoxium. Quis dicat corpus hominis esse immateriale, rationale, incorruptibile propter vnionem eius cum anima? Quis item animam materialem, irrationalem, propter corpus, cui sit vnita? Toti quidem homini hæc non absurdè tribuuntur. Dicimus enim, hominem materialem esse, rationalem, corruptibilem; scilicet translata proprietate partis ad totum ipsum. At, vt partium proprietates vtriusque cum altera communicentur, nec cõsuetudine loquentium, nec vlla ratione hoc potest comprobari. Igitur, etiam si largiamur, duas in Christo naturas esse, diuinam, & humanam: tamen minimè congrueret, proprietates vnius transferri ad alteram; quamuis vtrisque in Christum rectè competerent. Quis enim diceret, hominem illum immortalem, propterea quòd deus sit immortalis? etiam si Christus interea & mortalis diceretur, & immortalis, pro

ratione

ratione naturarum, quæ in eo vnitæ eſsent. Falſo igitur fundamento nititur communicatio iſta idiomatum. Accipiamus loca aliquot ſcripturarum, ex quibus manifeſtum fiat, quod dicimus. Rogat Chriſtus diſcipulos his verbis, Quem me dicunt homines filium hominis? « Matth. 16.
Cui illi, Hi Ioannem Baptiſtam, illi Eliam, alii Hiere- «
miam, aut aliquem prophetarum. Tum ille, Vos autem «
quem me eſſe dicitis? At Petrus, Tu es, inquit, Chri- «
ſtus filius Dei viuentis. Petri igitur ſententiâ filius ho- «
minis eſt filius Dei. Quid enim opus eſt communicatione idiomatum hoc in loco: cùm quidem, illum eundem, qui filius ſit hominis, confiteatur Petrus eſſe filium Dei? Ipſeque Chriſtus paulò poſt cœpit ſuis diſcipulis demonſtrare, ſibi eundum eſse Hieroſolymam, & multa à pontificibus patienda, ſeque occidendum, & tandem reuicturum. Cùm autem idem Petrus, indignum eſſe putaret, vt filius Dei quicquam pateretur, & tandem occideretur: prædicentem Chriſtum de paſſione, & morte ſua ſic obiurgat, Parce tibi Domine. nõ «
accidet iſtud tibi. Profectò, ſi humanam naturam pati «
debere intellexiſſet ſine diuina, non hac vteretur obiurgatione; qui ſciret, humanum eſſe pati. ſed, cùm intelligeret, illum, qui homo eſt, filium Dei eſſe: indignum illi viſum eſt, vt pateretur, & tandem occideretur. Pone, in Chriſto vnitam eſſe humanitatem diuinitati, ſicut in homine corpus vnitum eſt animæ; an ſicut tu de corpore tuo ita quæreres, quid dicunt homines meum corpus, non ita oporteret Chriſtum dicere, quem di-

cunt

cunt homines meum filium hominis? Profectò omnia hîc sunt similia.quandoquidem vtrobique res sibi mutuò vnitæ considerantur. At Christus non loquitur ad hunc modum.sed planè loquitur de se toto, Quem,inquiens, me filium hominis esse dicunt? Petrus quoque respondet,Tu es filius Dei.Non igitur hîc est vlla communicatio idiomatum sed totus Christus,qui est filius hominis, idem totus est filius Dei.Quoniam autem de
Heb. 1 Christo inquit apostolus, eum constitutum esse hæredem vniuersorum,ipseque de se dicit, datam sibi pote-
Matth. vlt. statem esse in cœlo,& in terra:excludenda est communicatio idiomatum & ab hoc verbo apostoli, cùm ait,
1. Cor. 2. dominum gloriæ esse crucifixum:& ab illo, cùm dicit,
Act. 20. deum acquisiuisse sibi Ecclesiam sanguine suo: & ab il-
Apoc. 11. lo,cum ait, dominum nostrum crucifixum esse. Christo enim filio Mariæ hæc competunt, vt constituatur hæres mundi,& vt ei detur potestas vniuersorum.Non autem illi, si quis esset eiusmodi, qui naturâ & essentiâ vnum esset cum deo patre. Hic enim naturâ & à se potestatem istam haberet, & non datam ab aliquo. nec hæres esset,sed hæreditatis dominus.Quamobrem ipse
Ioan 3. „ Christus sic loquitur, Sic Deus dilexit mundum, vt fi-
„ lium suum vnigenitum daret. Filius igitur Dei est,qui pro nobis datus est.Hoc idem sic Paulus, Dei erga nos
Rom. 8. „ summam commẽdans charitatem,Qui, inquit,proprio
„ filio non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit e-
„ um. Vocat illum proprium filium Dei, quem pro nobis tradidit in mortem. Traditus est autem filius Ma-

riæ.

riæ. Qui igitur est filius Mariæ, idem est proprius filius Dei. Suprà recitauimus verba cœci nati, quis sit filius Dei, rogantis: & item verba Christi respondentis hoc modo, Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. « Ioan. 9. Quæ hîc communicatio idiomatum? Non'ne se visibilem & verba sua sonantẽ Christus dicit esse filium Dei? Nam in eum tandem & credere se dixit cœcus, & eundem adorauit. Quod si non Christus ille visibilis & loquens * esset' filius Dei, certè ipsius Christi erat admonere hominem, idolatriæ vitandæ causa, vt, adorando & credendo, ad illum potiùs referret animum, qui inuisibilis hypostaticè iunctus esset visibili. quod tamen hîc minimè factum esse videmus. Non dissimile est & illud, cùm Christus Caiphæ, an esset filius Dei, palàm vt diceret, per Deum immortalem obtestanti, responderet, se esse. Non'ne Christus respondebat de se visibili? Nam si de inuisibili dixisset, hoc est de illo, qui hypostaticè vnitus esset visibili, haud existimẽ, Caipham blasphemiæ conuicium dicturum illi fuisse. Planum igitur factum est, vnum esse filium hominis & filium Dei; quemadmodum vnus est filius patris & matris: non alius patris, alius matris. Qui secus dicunt, duos filios faciunt; atque etiam duas personas constituant necesse est. vt enim vnus filius vnius est subsistentiæ: ita duo, duarum subsistentiarum.

* Pro fuisset. *quod alibi, ni fallimur, apud hunc scriptorem inuenies.*

Matth. 26.

CAPVT V.

Obiectionum quarundam solutiones.

HOc quidam eludere conantur, non deum homini

vnitum esse aientes, sed humanam naturam diuinæ in personæ vnitate: quæ & ipsa diuina sit. Verùm hoc sophisticum est. Non enim humana natura sine homine, nec diuina sine deo existere potest. Nisi fortè cogitatione hæc separantur. Re autem ipsa, quemadmodum, vbi est albedo, ibi album esse necesse est: ita diuinitas sine deo, humanitas sine homine esse nequit. Quòd si homo non est vnitus deo in vnitate personæ, nec humanitas diuinitati vnita esse intelligetur. Alii sententiam, quam diximus, oppugnant verbis Petri di-
1. Pet. 4. centis, Christum passum esse carne: & Pauli aientis, fi-
Rom. 1. lium Dei factum esse ex semine Dauidis, secundùm
Rom. 9. » carnem: Et alio in loco, Christum esse ex patribus Isra-
» ëlitarum, secundùm carnem; qui sit supra omnes deus benedictus. Cùm dicit, inquiunt, secundùm carnem, significat, secundùm naturam humanam, originem ducere ex Dauide, & secundùm eandem naturam, passum esse. Manifestè indicantes, aliam naturam, nempe diuinam, in Christo esse, secundùm quam & sit impassibilis, & aliunde ortum habeat, quàm ex homine. Respon sio facilis est. Non enim admittendum est, hac particula indicari, in Christo esse diuinam naturam, quæ sit eadem essentiâ cum deo patre. Sed, quemadmodum Paulus Rom. 9. ait, Israëlitas sibi cognatos esse secundùm carnem, hoc est secundum carnis propagationem: nihil interim diuinæ natutæ sibi vendicans: ita & de Christo intelligendum est. Petri verba clara sunt, quibus hortatur nos ad tolerantiam rerum aduersarum, & ad vi-

tam sanctè degendam, exemplo Christi proposito. Sic enim ille, Christo, inquit, passo in carne, vos quoque eadem cogitatione armamini: quòd, scilicet, qui passus est in carne, destitit à peccato, ad hoc, vt non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntate Dei, quod reliquum est temporis, in carne viuat. Quasi dicat, Eodem modo animati sitis, vt Christus. Sicut enim ille pro vobis passus & crucifixus est carne: ita & vos pro eo patiamini, & carnem vestram crucifigatis. Quia, qui passus est carne, desiit à peccatis; vt deinceps, quod reliquum est temporis, in carne viuat: non secundùm desideria & cõcupiscentias hominum, sed secundùm Dei voluntatem. Hæc sententia est verborum Petri. Quid autem hoc ad rem, vt quis Petrum existimet hîc subindicare, in Christo esse aliam naturam, præter diuinam? Ter in verbis Petri repetitur vocabulũ carnis. neq; est causa, quamobrem non in eodem sensu vbiq; accipiatur. Sed & infrà idem Petrus sic loquitur, Nam iccirco « mortuis quoq; prædicatum est euangelium, vt damna- « rentur quidem, secundùm homines, carne, viuerent au- « tem, secundùm Deum, spiritu. Hîc carnem planè op- « ponit spiritui. Equidem, locum hunc perobscurum esse, non ignoro. sed, quod huc spectat, sententia hæc esse videtur horum verborum, homines ex euangelio Dei damnandos esse carne, victuros autẽ spiritu. Quorsum autem hîc carni opponeretur natura diuina? Certè caro spiritui opponi videtur, non deo. * Rom. 9'. Qui secundùm carnem natus est, persequitur eum, qui

*Immo, Gal. 4.

natus est secundùm spiritum. Rom. 8. Esse in carne, & esse in spiritu; & Versari iuxta carnem, & iuxta spiritum; &, Qui carnales sunt, quæ carnis sunt, curant: qui spirituales, quæ spiritus sunt. Ad eundem modum Rom. 1. Cùm dixit, Christum natum esse ex semine Dauidis secundùm carnem: mox subiunxit, eundem declaratum esse filium Dei secundum spiritum sanctificationis, ex eo, quòd resurrexit ex mortuis. Quid multa? Christum & carnem, & res omnes carnales ex patribus habuisse putandum est: dona autem cœlestia ex cœlis & à Deo ipso. Non igitur ita argutandum est: Christus passus est carne: Habuit igitur naturam aliam, secundùm quam passus non est, nempe diuinam. sed sic potiùs ad mentem Petri. Christus passus est carne tantùm: non igitur spiritu. Nam ideo caro aptata illi est, vt carne pro nobis pati posset ad redimenda peccata nostra. ideo sanguinem effudit, vt nos ablueret ab omni immunditia. Non hoc præstare poterat sanguis taurorum, & hircorum, aut ne hominis quidem (quæ enim differentia inter huius, & * illius sanguinem: nisi quod ille brutorum est, iste rationalis animantis?) sed sanguis eius hominis, qui idem sit filius Dei. atq; adeò Deus quoque hoc præstitit. Neque tamen inficias iuerim, posse aliqua ratione dici, quà homo, non quà Deus. Sicut Regem, aut quemuis alium magistratum dicimus mori, non quà Rex, sed quà homo. Hoc est, non ex ea parte, quatenus potestatem à Deo datam exercet, bonis tuendis, facinorosis puniendis: sed quia corpus eius

* Pro illorum

pus eius ex contrariis qualitatibus constituatur: quarum conflictum interitum sequi necesse sit. Ad eundem modum Iesus Christus mortuus diceretur, quòd, forma serui sumpta, dependit pœnam sceleribus nostris debitam: non autem, quòd officium eius, quo fungitur pro nobis apud deum patrem, intereat, aut interiturum sit. Nam, vt dicit apostolus, Iesus Christus heri, & hodie, idem etiam in secula. Non enim hîc, inquit Calvinus, de æterna Christi essentia apostolus differit: sed de eius notitia; quæ omnibus seculis viguit inter pios, ac perpetuum Ecclesiæ fundamentum fuit. Quemadmodum igitur non alius est Rex, alius homo: sed vnus & idem, pro rationibus diuersis, & moritur, & non moritur: ita idem est & vnus Christus deus & homo, qui aliàs mori dicitur, aliàs æternus esse, pro diuersis considerationibus. Porrò, quod ex subtilitate quadam scholastica aiunt quidam, filium alio respectu patris esse filium, alio matris: nec tamen illum propterea esse duplicem filium, sed vnum; ita & in proposito nihil impedire, quominus Christus sit vnus filius, quamuis referatur & ad patrem Deum, & ad matrem Mariam: * Sed hoc minimè est simile. Nam in rebus humanis facilè vnitas filii saluatur, propter substantiam vnam filii: etiamsi respectus sint diuersi ad patrem, & ad matrem. At de Christo non est simile; qui naturas duas habere dicitur; æternam, secundùm quam refertur ad patrem, à quo genitus sit ab æterno: & temporariam, secundùm quam refertur ad Mariam, ex qua natus sit tempore à patre destinato.

Heb. 13.

* videtur abundare.

CAPVT VI.

Iesum Christum non tantùm Dei filium esse, sed deum quoque.

SAtis demonstratum est, Christum Iesum semel natum esse: idque in terris ex Maria virgine, cuius sit filius, atque idem & filius Dei. Nunc eundem deum esse & dominum nostrum, breuiter demonstremus. Vnde autem id meliùs ostendi potest, quàm ex sanctis scripturis, quæ testimonium perhibent de illo? Thomas Didymus, viso Christo, rediuiuo, & eius vulneribus
Ioan. 20. contrectatis, dixit, Dominus meus & deus meus. Hoc Christus audit; nec Thomam reprehendit: reprehensurus haud dubiè, nisi deus esset. Loquitur autem Thomas de Christo visibili & manibus palpabili. Hoc est de eo, qui, cum crucifixus esset, mortuus & sepultus, à morte tandem surrexit: seque Thomæ, & reliquis apostolis conspiciendum dedit. Nulla autem hîc est mentio dei, aut domini inuisibilis. Paulus Rom. 9. loquens
„ de Israëlitis, sic ait, Ex quib. est Christus secundum car-
„ nem; qui est supra omnes deus benedictus in secula. A-
„ men. Si hîc Christus est illud aggregatum ex deo & homine, quomodo is diceretur deus? Certè totum non est pars. Hoc enim perinde diceretur, atque si quis dicat, Ex quibus est homo, qui est anima. Cùm autem pars de toto ineptè dicatur, necesse est, hîc Christi nomine intelligi filium illum hominis, qui in maiestate sua promisit se venturum ad iudicandum; qui est deus benedictus in secula. 1. Ioan. 5. loquitur Ioannes expresè

presse de Iesu Christo. Hic est, inquit, deus, & vita æ- «
terna. Addit mox. Filioli custodite vos à simulachris. «
Cur? Quia non sunt veri dii. Si nec Christus verus de-
us esset, debebat admonere Ioannes, ne pro deo co-
leretur. Esaias de Christo vaticinans, sic olim prolo-
quutus est, Puer nobis nascitur, filius nobis datur; qui « Esa. 9.
humeris suis principatum gerit; qui nomine vocatur «
admirabilis, consiliarius, deus potens, pater æternitatis, «
princeps pacis: ad principat⁹ amplificationem, pacem- «
que infinitam in solio regnoque Dauidico: ad id iure «
iustitiaque colendum & stabiliendum ad omnem de- «
inceps æternitatem. Id quod armipotens Ioua suo stu- «
dio facit. Non'ne his verbis Christus deus vocatur? «
Vocatur puer. Quod nomen haud scio an filio illi, qui
ex patre ab æterno nasceretur, competeret. Dicitur es-
se nobis natus nobisque datus; vt significetur commu-
nis illi natura esse nobiscum. atque hunc ait vocatum
iri deum potentem. Iam quid est magis proprium Dei,
quàm peccata remittere? Atqui Christus peccata remit
tit. Ipse enim testatur, filium hominis potestatem habe- Matth. 9.
re peccatorum remittendorum. Quamobrem Paulus
vocat eum dominum gloriæ 1. Cor. 2. Nemo, inquit, «
principum huius seculi sapientiam Dei cognouit. nam «
si cognouissent, nequaquam dominum gloriæ crucifi- «
xissent. Petrus autem Act. 2. dicit, Iesum crucifixum «
factum à Deo esse dominum, & Christum. Et Act. 3. «
authorem vitæ vocat. Authorem, inquit ad Iudæos, «
vitæ tradidistis; quē Deus à mortuis excitauit. Si Chri- «

stus est

ſtus eſt occiſus & mortuus,& à mortuis excitatus, quà homo: Ipſe autem eſt dominus gloriæ,& author vitæ: Eſt igitur deus, quà homo. Nam & à patre ſanctificatus eſt, & in mundum miſsus: & opera facit patris ſui: & ſpiritus ei datus eſt non ad menſuram: Eſt plenus gratia & veritate, de cuius plenitudine omnes accepimus: diuinitas in eo habitat corporaliter: vnctus eſt à Deo præ conſortibus ſuis: datum eſt illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen: data eſt illi poteſtas omnis in cœlo, & in terra. Quare & ipſe verus deus, & Maria verè & propriè dicitur mater dei: vel, vt Græcos loqui perhibent, θεότοκος. quod fortaſse Latinè diceretur Deipara.

CAPVT VII.

Obiectionis de pluralitate Deorum ſolutio.

IAm reſpondendũ eſt obiectioni de multitudine deorum. Quomodo enim illa vitabitur, ſi & pater eſt deus, & filius eius deus quoque? Eſt autem lex illa æterna, deum eſse vnum, qui ſit adorandus. Reſpondeo, Deus vox eſt humana, vt reliquæ. Aliquando de eo dicitur, qui in graui periculo ſuccurrit: aut inſperatam ſalutem attulit: aut inſigne aliquod beneficium præſtitit. De quo natum eſt vetus prouerbium, Homo homini deus. Aliquando de eo, qui in in re aliqua principatum tenet, floretque præ cæteris. vt apud Ciceronem

*Immo, Mucius. Cic. de ora. lib. 1.

„ loquitur * Antonius', ni fallor, ad Craſsum: Equidem,
„ cum te in dicendo ſemper putaui deum: tum tibi nun-
„ quam eloquentiæ maiorem laudem tribui, quàm hu-
„ manitatis. Sed & Moſi nomen dei tributum eſse, ſanctæ

literæ

literæ testantur. Exodi 4. dixit Ioua ad Mosen: Habes « fratrem Aaronem, cum quo tu colloquêris, eumque « verbis instrues. Ipse ad populum verba faciet; eritque « tibi pro ore: tu ei pro deo. Hoc est, Ille tibi erit vice « interpretis: tu verò ei pro doctore, principe, mediatore. Magistratus quoque dii appellantur, propter officium, quo funguntur. In proposito autem Deus est, qui orbem vniuersum, & quæ in eo sunt, fabricatus est: qui summam habet rerũ omnium potestatem: qui suis stat viribus, nec ex alieno pendet arbitrio: cæteri omnes pendent ab illo. Et hæc est ratio, quæ faciat deũ. Quòd si plures tales essent, cum illa summa potestate, vt nullus ab alio penderet, sed quod vnusquisque vellet, id efficeret, nullo impediente: plures omnino dii essent. quemadmodum Reges plures sunt cum summa potestate, quorum vnus alii minimè subiectus est. Nihil interea referret, vtrùm illi dii vnius essentiæ essent, an diuersarum. Non enim vnitas essentię efficit deum: sed illud summum imperium in omnia, & supra omnia. Atque hoc modo deus vnus est, pater, summam & absolutam habens rerum omnium potestatem. In quem numerũ nemo cum illo venire potest. Dicet quis, quomodo igitur filius Dei est deus? Respõdeo, quia illi data est omnis potestas in cœlo, & in terra: omnia illi à patre subiecta sunt, patre tantùm ipso excepto. Quemadmodum Paulus 1. Cor. 15. interpretatur his verbis, Omnia pater subiecit sub pedes eius. Cum autem om- « nia subiicienda dicit, id sic accipiendum est, vt excipia- «

» turis, qui ei subiecerit omnia. Non est igitur filius Dei
numeris omnibus absolutus deus. nam & à patre vitam
habet: & illi est subiectus, illius in omnibus iussa exe-
Ioan. 5. » quens. Quemadmodum ipsemet testatur, Pater habet
» vitam in se ipso & filio dedit habere vitam in seipso.
6. » Descendi de cœlo, vt faciam non voluntatem meam,
8. » sed voluntatem ei⁹, qui misit me. Qui misit me, mecum
4. » est. & ego, quæ placita sunt ei, facio semper. Meus ci-
» bus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & per-
8. » ficiam opus eius. Non potest filius à semetipso opera-
» ri, nisi viderit patrem operantem. Quæcunq; enim ille
» facit, hæc etiam filius pariter facit. Non'ne Christus his
& similibus verbis docet, se totum à patre pendere?
Non'ne profitetur, se illi debere & vitam, & quicquid
facit operum? Quòd si à patre non penderet, sed pa-
rem cum illo potestatem haberet, patri quoque dicen-
dum esset, Non meam facio voluntatem, sed tuam, fili.
Et quemadmodum filius patrem, suum vocat deum: ita
pater filium vocaret deum suum. Quod tantùm abest,
Esa. 52. vt faciat, vt seruum eum vocet. Quid plura? Omnino
nos fateri oportet, si quidem & scripturis, & rationi
consentanea loqui volumus, filium ita pendere à patre,
vt mandata illius omnia exhaurienda sibi putet: nec
quicquam ab illo petat, nisi quod secunda illius volun-
tate obtinere queat. Documentum huius rei affert pre-
Mar. 14. „ catio illa extrema· Pater transfer à me calicem istum.
„ Mox enim addidit conditionem· Verumtamen, inquit,
» ò pater, fiat non quod ego velim, sed quod tu. Vnde &

nos

nos discere conuenit, vt ne quid temere petamus à Deo; sed conditionem semper apponamus, quam videmus filium Dei apposuisse: vt, quod ille velit, faciat, nõ quod nos. Certè si Christi natura diuina consubstantialis esset *patri diuinæ naturæ: vicissim deceret patrem sic alloqui filium, Non tantùm quod ego, sed etiam quod tu fieri velis, fili, id fiat; contrà quàm testificatum videmus esse filium Dei sic loquentem, Non meam facio voluntatem, sed eius, qui misit me patris. "

*videtur legendum, patris.

CAPVT VIII.

Opinio nouitatis & hæresis sententiæ Pinzouiorum refellitur. Tandem additur Epilogus.

ETsi autem quæ hactenus dicta sunt, nouitatis, ac potiùs hæresis nomine reprehendi posse videntur: Tamen, si quis cum animo suo, quæ à renouata doctrina in Ecclesia Dei acciderunt, rectè reputauerit: non dubito, quin & ab iis, quæ hucusque exposita sunt, nouitatis, ac hæresis opinionem omnem sit sublaturus. Regnabant olim in Ecclesia missarum nundinationes, purgatorii ignes, indulgentiarum mercatus, patronorum auxilia infinita, & artes variæ regni cœlorum precio comparandi. Hæc à Luthero profligata, nemo non nouit. Zuinglius missarum panopliam sustulit, atque euertit. Ante horũ tempora quis non in omnibus, quæ enumerauimus, animo placidissimo conquiescebat? Non de vulgo tantùm indoctorum loquor: sed & de hominibus summa doctrina præditis. Quis, inquam, eorum non spem salutis in missis, indulgẽtiis, patronorum in-

uocationibus, & id genus aliis reponebat? Verumtamen omnia illa, quantumuis altis radicibus in animis hominum fixa manebant: tamen ad verbi diuini lucem inania reperta sunt: ad eloquiorum Dei vim coruscam fracta sunt, & funditus corruerunt. Quid igitur mirum, si & axiomata hæc tum de Triade, tum de Christi natura duplici, vana tandem conspiciantur, stultitiæ, & erroris plena? Extant in sacris litteris testimonia diuina de Babylone, de Antichristo, de defectione à fide, de clauso libro sanctę scripturæ, & id genus aliis. vt mirum non sit, hunc librum nec simul, nec omnibus aperiri: artes Antichristi vulgò ignorari: multorum animos in Babylone adhuc detineri.

Apoc. 5.

Scripsit Ioannes temporibus suis de Antichristo venturo. Et iam, inquit, in mundo nunc est. Discrimen etiam inter spiritus describit his verbis· Per hoc cognoscetis spiritum Dei, Omnis spiritus, qui confitetur, Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Non enim legunt Græci, ἐν σάρκα: sed, ἐν σαρκί. Itaque Latinè reddēdum videtur non, In carnem, vt non nemo interpretatur, sed, IN CARNE. Et quidem vetus interpres sic interpretatus est, & Erasmus, & Caluinus, & Tigurini, & Parisienses. Volunt autem hi omnes, his verbis indicari, Christum, quà deus erat, antea extitisse: idque verbo VENISSE designari. neminem enim aliquò venire intelligi posse, nisi qui extitisset priùs. vt scilicet à termino à quo ad terminum ad quem intelligatur aduentus illius. Verumtamen consideranda est & phrasis, & res ipsa.

1. Ioan. 4.

res ipsa. Nam si venit filius Dei, tanquam in terminum ad quem, in carnem: cur id accusatiuo casu expressum non est, sed ablatiuo, aut, qui locum ablatiui apud Græcos supplere dicitur, datiuo? Planiùs fuisset dictum, Christum, qui antea extiterit, in carnem venisse, in qua antea non erat. Atqui dictum est, Venit in carne. Hoc autem cur nonsic intelligendum sit, quemadmodum illud, quod de Ioanne dicitur· Fuit homo missus à Deo? An * antea priùs erat, quàm mitteretur? Minimè. Sed missus à Deo est, hoc est conditus est, vt testimonium perhiberet veritati. Itaque * quod priùs dicitur * missum esse, mox de eodem dicitur, eum venisse. Hic, inquit, venit ad testificandum. Certè non venit, tanquam priùs extitisset in alio loco. sed venit, hoc est mundo apparuit, ob testificandum, vt de lumine testaretur. Quid vetat, quominus de Christo eodem modo interpretemur, venisse eum in carne, hoc est carneum, seu, vt Castalio interptetatur, corporatum? Sunt igitur hæc verba Ioannis, Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. & omnis, qui id non confitetur, ex Deo non est; sed is est ille Antichristus, qui venturus est, & qui iam nunc in mũdo est. Antea idem Ioannes dixit, quemadmodum, inquit, venturum audiuistis Antichristum, nunc quoque multi sunt Antichristi. Fuerunt igitur temporibus apostolorum in mundo Antichristi; illi nimirum, qui negabant, Christum in carne venisse: sed, cum priùs extitisset, venisse eum in carnem. Si igitur tales temporibus apostolo-

« Ioan. 1.

* Alterutra ex his duab. particulis abundat.

* Pro qui, & « missus.

« Ioan. 2.

rum fuere, qui Christum alium docuerunt, quàm apostoli ipsi tradidissent: quid mirum, ætatibus longo interuallo sequutis, ambitione, & superstitione in Ecclesia regnantibus, magistris theologię oscitantibus & securis, multò inquinatiora ac potiùs monstrosiora irrepsisse in Ecclesiam?

Epilogus.

Si igitur prædicta diuina Christi aduentus prænuntia* de semine tantùm mulieris *loquãtur, nulla mentione facta diuinæ naturæ: si & actiones, & sermones omnes Christi tum ab ipso, tum ab aliis de ipso habiti, hominem fuisse, sine vllius personæ diuinæ commistione, ostendunt: si filius, patris voce aliàs filius, aliàs seruus *vocetur nulla consubstantialitate commemorata: Quid dubitamus affirmare, hunc ipsum Iesum Christum semel tantùm, idq; in terris, ex Maria virgine natum, & Dei, & Mariæ filium fuisse, & esse? Hunc filium, Nazarenum dictum esse, vnctum à Deo, à Iuda proditum, à Iudæis crucifixum & interfectum, à Deo resuscitatum & exaltatum sacræ literæ testantur. consubstantialem patri esse, vel fuisse, non testantur. Huic filio & prophetæ, & apostoli testimonium perhibent, dare illum vitam omnibus, qui fidem illi habeant. Prorsus autem tacent de illo inuisibili & æterno, qui cum homine vnitus esset. Et nos igitur hunc, qui visibilis est, mentis oculis intueamur: crucifixum adoremus: suprà cœlos ad patris dexteram exaltatum glorificemus. Cui sit laus & gloria in secula. Amen.

* Deest oracula, aut quidpiam tale.

* Pro loquũtur.

* Pro vocatur.

TRACTA-

TRACTATVS SECVNDVS. IN QVO EXPLICATVR SENTENTIA DOcens, Christum, antequam ex virgine Maria nasceretur, extitisse.

CAPVT I.

Demonstrationem continet huius sententiæ.

HVcusque oratio Pinzouiorum excurrit & progressa est: longiùs fortasse, quàm (vt aliquis existimare possit) debuerit. Verùm enim sic mihi visum est hoc tractāti argumentum, vt priùs animum meum ad sicsentiendum induxisse videri possim, quàm aliis hoc ipsum * tradere' vt, qui hanc sententiam amplectuntur, causari non possint, à nobis studiosè aliquid omissum esse: q diuersam, neruos intendant ad hanc oppugnandā, quæ eis tam copiosè & ad veritatē fortasse probabiliter exposita esset. Nos igitur deinceps animum intendamus, oculos, & manus ad ea, quæ ex contrario differi posse videantur. * Rem' quidē hoc magis * difficilem', quòd Pinzouiorum schola sedulò incumbit in confirmanda & ornanda sua inuenta. qui contrarium sentiunt, nec confutationes edunt dignas hoc argumento, nec, quæ à Pinzouiis dicantur, auent cognoscere. sola antiquitate sententiæ sententiæ suæ contenti, eam amplectuntur. In quo quidem & si vix reprehendendi sint, si animos suos respectent, quibus nihil magis persuasum sit, quàm in his pronunciatis religionis conquiescere: tamen * confutari' ea, quæ falsa sint, & * reuocari' errantes in rectam viam

* Traderem voluit fortasse auctor scribere.

* Res, & difficilis, potiùs dicendum videbatur.

* Pro confutare, reuocare.

viam, nemini vnquam vitio datum est. Verumtamen, quicquid ab istis ipsis accepimus, ea afferenda nobis sunt ad confutandum Pinzouiorum dogma. Atque in hac parte orationis laudanda inprimis esse videntur, quæ iam inde à vetustissimis Ecclesiæ temporibus propagata sermonibus,& per manus, vt aiunt, nostro seculo tradita sunt de Iesu Christo logo dei patris æterno. Qui, cùm apud Deum ante rerum omnium exordium fuisset, quippe deus ipse, tempore destinato missus in
Gal. 4. „ hunc mundũ est. Sic enim loquitur Paulus, Postquam „ venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum fa- „ ctum ex muliere. Si missus est in hunc mundum: priùs igitur extiterit, oportet. Erat enim deus apud Deum in principio. Quòd si missus ille, filius Dei erat, filium fuisse necesse est etiam diuinitatis ratione. Etsi autem verbum mittendi obnoxium sit cauillis: sunt tamen verba alia, quibus, quæ dicimus, magis confirmari possunt. vt
Ioan. 6. „ cùm Christus sic loquitur, Descendi de cœlo, non vt fa „ ciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit „ me. An, qui descendit, non erat priùs, quàm descendisset? Certè non enti descensus tribui non potest. Multa eiusmodi de filio dicuntur, quæ illi minimè competerent, nisi priùs fuisset, quàm ex virgine nasceretur. In
Gen. 19. „ historia Lothi, cum ingrederetur Segor, Tum, inquit, „ Dominus pluit sulphur, & ignem à Domino. Si pluit Dominus à Domino, vterque igitur tum erat. Quod enim non est, pluuiam demittere nequit. Etsi autem Hebræi interpretantur, à Domino, hoc est, à seipso, dicuntque

cuntque hanc phrasim esse linguę suæ: Tamen ego non
videO, cur hæc verba non sint similia illis. Dixit Domi " Psalm. 110.
nus Domino meo. Quis hoc ita interpretetur, Dixit "
Dominus sibi ipsi? Esa. 59. de filio dicitur. Sic dicit Ex- "
celsus & eleuatus, habitans æternitatem, & sanctum no- "
men eius. Et cap. 9. dicit eum patrem æternitatis. Est "
igitur omni ærernitate prior. Et 1. Cor. 10. Neque in- "
quit, tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaue "
runt, & à serpentibus extincti sunt. Facit autem ibi Pau "
lus mentionem historiæ Num. 21. cùm in populum bla-
sphemantem immisit Ioua serpentes ardentes, qui po-
pulum momorderunt, vt moreretur. Erat igitur tunc
Christus, cum hæc fierent; & non tunc primùm extitit,
cùm homo factus est. Sed redeamus ad verba Pauli, quà
dicit, filium Dei factum esse ex muliere, hoc est ex mu-
lieris (non opponitur autem hîc mulier virgini, sed se-
xum indicat) substantia. Verus igitur homo fuit, vt in-
quit Ioannes, Sermo factus est caro, hoc est, carnem as- "
sumpsit; vt apostolus interpretatur Heb. 2. Non enim, "
inquit, angelos assumpsit; sed semen Abrahæ assumpsit. "
Non igitur sermo conuersus est in carnem, hoc est in
naturam humanam: sed assumpsit eam. Estque hic locus
insignis ad ostendendam duplicem in Christo natu-
ram. alia enim est, quæ assumit: alia, quæ assumitur. Ni-
hil enim assumit seipsum. Est igitur vera coniunctio
naturæ diuinæ cum humana in Christo. Audiamus iam
Christum de se loquentem, Antequam, inquit, Abra- " Ioan. 8.
ham esset, ego sum. Sed non erat ante Abrahamum, quà "

homo. Sic enim longo post tempore sequutus est; quippe qui ex semine Abrahæ prognatus sit. Erat igitur in eo alia natura, secundùm quam dicit, se priùs fuisse Abrahamo. Est, qui Christum dicat non ibi loquutum esse, quatenus deus est: sed quatenus visus est Abrahamo vnus Dei & hominum mediator homo Christus Iesus. Quod etsi verum sit: tamen & illud considerandum est, absurdum visum fuisse Iudæis, vt Christus Abrahamum * videret; vt pote quem multis post seculis sequutus esset. Hoc Christus confutando, dicit se fuisse ante illum. Non tantùm igitur de munere mediatoris loquutum esse apparet, sed de existentia quadam, qua præcessisset Abrahamum; quæ alia esse non potest, nisi diuina.

* Pro vidisset.

Ioan. 8. » Idem Christus sic loquitur: Ego à Deo processi & ve-
» ni. Neque enim à me ipso veni. sed ille me misit. Quomodo à Deo profectus est, nisi quà deus. nam si quà homo, idem de aliis hominibus diceretur. Ibidem Christus dicit, Vos ex hoc mundo, ego non ex hoc mundo. Non ne & his verbis indicat naturam suam diuinam?

Ioan. 17. » Quid illud? cùm patrem compellat hisce verbis: Tu
» nunc me, pater, apud te ipsum ea gloria illustra, qua apud te præditus eram, antequam mundus esset. Planè indicat, se ab æterno fuisse, cùm ait, se apud patrem gloriosum fuisse ante conditum orbem. Iam quid operatus sit Christus ipse priùs, quàm natus esset ex virgine, au-
» diamus. Ioan. 1. Omnia per eum facta sunt; & sine ipso
» factum est nihil, quod factum est. Et si autem verba Ioannis aliqui de regeneratione interpretãtur: Tamen videant,

videant, ne violenter trahant scripturam ad sua inuenta. Quid autem impedit, quominus verba Ioannis altiùs repetamus? Dicit Ioannes, in principio fuisse verbum. Hoc tu de initio prædicationis, seu officii ac ministerii Christi interpretaris. Quid autem ad hunc modum noui enunciaret Ioannes? Quis ignorat, oportere eum priùs existere, qui aliquid docere debeat, agereue? Certè scriptoris est inepti & tempore abutentis scribere ea, quæ ita nota sunt omnibus, vt, qui de iis dubitet, insanus sit oportet. Quod igitur mundo ignotum est, hoc putemus Ioannem scribere. Etsi autem vox principii multa significaret; tamen videndum, quæ huic loco significatio apta esse possit. Tu vis, vocem initii intelligi de initio prædicationis ac ministerii Christi. confersque verba Ioannis cum verbis Marci sic ordientis· Initium Euangelii Iesu Christi, prout scriptum « est in prophetis: Deinde & cum illis, quibus canoni- « cam suam orsus est Ioannes· Quod erat ab initio, quod « audiuimus, quod vidimus, & manus nostræ contrecta- « runt, de verbo vitæ, annunciamus vobis. Verùm dili- « gentiùs te inspicere oportet, de alio initio hæc loca intelligenda esse, quàm *hunc Euangelistæ, de quo disputamus. Marcus expressè loquitur de initio euangelii Christi. Itaq; Tigurini verba eius sic explicant· Euan- « gelium Iesu Christi sic incepit, prout scriptum est in « prophetis. An verò idem est loqui de logi initio, & de « euangelii ipsius initio? Certè Ioannes loquitur de logo: non quidem illi aliquod initium assignando: sed,

* Pro hoc

illum in initio extitisse, affirmando. Marcus autem, de euangelii initio loquens, ait, illud eiusmodi fuisse, prout scriptum est in prophetis. Hæc de Marco. In Canonica autem sua Ioannes, quasi apostolorum nomine,
1. Ioan. 1. » Annunciamus, inquit, vobis quod audiuimus de ver-
» bo vitæ ab initio: quodque & vidimus, & manibus no-
» stris contrectauimus. Non'ne palàm loquitur de rebus ab initio à se visis, auditis, contrectatis? At euangelium Ioannis omnino loquitur de existentia logi, dicens, illum fuisse in principio. Quid igitur magis huic loco conuenit, quàm, vt existimemus, Ioannem de eo loqui principio, de quo Moses, describendo initio originis rerum omnium, loquutus sit? nempe de initio creationis rerum. Erat igitur verbum initio rerum conditarum. Addit Ioannes, vbi'nam fuerit in illo principio:
» Et verbum erat apud Deum. Hoc tu ita interpretaris, vt dicas, Deo notum fuisse verbum illud. affersque loca quædam, vbi similes loquutiones de notitia accipiantur. quæ quidem habeant se quomodocunque. Verumtamen debebas ostendere, similes loquutiones nun quam aliter interpretandas esse. Hoc si non præstas, quid est, quòd ex particularibus infers & hanc particularem? Quid autem hoc noui esset, si Ioannes intelligeret, verbum Deo notum fuisse? Profectò, Deo nota esse omnia & præsentia, & præterita, & futura, & quidem æquè omnia, nemo est qui dubitet. Cùm igitur Ioan-
» nes dicit, Et verbum erat apud Deum, hæc verba, vt sonant, accipienda sunt. Rogat enim alibi, vt detur si-

bi ea

bi ea gloria, quam priùs apud patrem habuisset, quàm mundus fuerit. Extiterit igitur oportet ante conditum orbem, qui apud patrem tunc gloriam habuerit. Tandem Ioannes scribit, quid illud verbum fuerit. Et deus, inquit, erat verbum. Mox, quod priùs dixit membris duobus, vno complexus est. Hoc, inquit, erat in principio apud Deum. Non esset res magni momenti, si hoc intelligendum esset de principio prædicationis Christi: & de eo, quòd Deus habuerit notitiam Christi. Certè eiusmodi sunt hæc, quæ sine vlla magistri admonitione quisque probè cognoscat. Verùm, quia de rebus maximis Ioannes loquutus est & mundo prorsus ignotis: ideo, non contentus semel dixisse, repetit, verbum fuisse apud Deum initio rerum omnium. Postquam igitur ostendit, quando verbum fuerit, & vbi fuerit, & quid fuerit: mox addit, qd egerit. Omnia inquit, per ipsum facta sunt. Hoc tu restringis ad ea, qu ę noua facta sunt, hoc est * de regeneratione. Verùm haud scio, cur, quod generatim dictum est, generatim non sit intelligendum. Et quamuis Paulus dicat, quicunq; in Christo sint, nouam creaturam esse: tamen interim non negat, alia quoque per Christum facta esse. Imò alibi dicit, per ipsum, mundum factum esse. Quod autem apud Esaiam loquitur Deus, quòd ipse solus creauerit cœlum, & neminem secum fuisse: id quidem significat, neminem illi fuisse adiutorem: sed, quòd nullus fuerit, per quem creauerit, multa loca scripturarum reclamant. Quæ omnino diuellenda non sunt: sed ita

« « « «

scripturæ interpretandæ, vt singulis suus locus detur: & quod vno in loco non reperitur, ex alio apponatur. Posset aliquis dicere de filio, illum solum mortuos ex-

Ioan. 6. » citare, quòd ipse loquatur ad hunc modum, Qui edit
» carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam
» æternam; & ego excitabo eum in nouissimo die. Ve-

2. cor. 4. rùm, quia Paulus scribit, quòd, qui excitauit Chri-

* Pro Ideo. stum, & nos per Christum excitabit: * Itaque ab hoc opere excitationis Deus excludendus non est. sed cum his Pauli verbis illa Christi verba coniungenda sunt: ac dicendum, Deum per Christū omnia excitare. Cur autem non eodem modo dicamus de creatione? vt quamuis Deus dicat, se creasse cœlum: tamen hoc quo que, quod dicunt apostoli, minimè reiiciamus, Per Christum omnia à Deo condita esse. Profectò nullum opus est, à quo Deus excludendus sit. Tu ita ad nouum testamentum restringis filium Dei, quasi in creatione nullæ ipsius partes fuerint. Nos, vt regenerationem à Deo per filium fieri, affirmamus: ita, creationem à Deo per eundem filium factum esse, perhibemus. An est minoris virtutis mortuum & iam in puluerem redactum excitare ad vitam, quàm eundē ex nihilo creare? Non iam loquor de eo homine, cuius corpus integrum esse videatur: quamuis vita prorsus destitutum sit; quale erat Lazari, qui quatriduum in sepulchro iacuerat, &, vt

Ioan. 11. narrat Martha, iam fœtebat. quamuis & hunc reuocare ad vitam potentiæ sit prorsus diuinæ. Loquor de eo, cuius corporis ne mica quidem appareat; sed vel à vermibus

mibus totum absumptum sit, vel diuturnitate in puluerem redactum. An, inquam, hunc ex morte ad vitam priorem reuocare minoris sit virtutis, quàm ex nihilo eundem creare? Mihi quidem paris virtutis vtrumque esse videtur. Quid enim minùs simile homini viuenti & opera vitalia exercenti, quàm puluis, qui ventis proiicitur à facie terræ, & in partes omnes dissipatur? Et tamen ex hoc, quantumuis dissipato, filius Dei fingit ipsi fidentes ad vitam & hanc corpoream, & illam æternam. Est enim ei omnino credendum, qui veritas sit, sic dicenti: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego exuscitabo eum in nouissimo die. Sunt autem illustria opera Christi verbo à morte excitantis Lazarum, filium viduæ, filiam principis synagogæ, Ioan. 11, Lucæ 7, & 8. Si igitur filius Dei ad hunc modum excitat, cur non etiam creat? præsertim, cùm Ioannes hoc testetur hisce verbis: Omnia per ipsum facta sunt: & Paulus sic * loquens de eo. Qui imago est Dei inconspicui, primogenitus omnis creaturæ. nam per eum omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominia, siue imperia, siue potestates: omnia, inquam, per eum, & in eo condita sunt. Estque ipse ante omnia; & omnia per ipsum consistunt. Nonne manifestè de creatione rerum hîc loquitur? Enumerat cœlestia, & terrestria, visibilia, & inuisibilia. De quibus dici non potest, ea omnia per filium regenerata esse. nam & cœlestia regeneratione opus non habent: & terrestria multa, eius

« Ioan. 6.

« *Pro loquatur dictum videtur.

ta, eius expertia sunt. Multa visibilia,& inuisibilia retinent veterem statum suum. Cùm igitur dicit,per filium omnia condita esse, de creatione accipiendum est: quam,nihil est in rerum natura, quod subterfugere possit. Regenerationis autem multa sunt exortia. vt non
1. Ioan. 2. immeritò Ioannes dixerit, mundum in maligno positum esse. Itaque apostolus vno verbo, sine vlla enu-
Heb. 1. „ meratione, sic alibi dixit· Per quem facta sunt secula. Quomodo autem intra secula tantum fieret, per quem
*Videtur abũdare. Gen. 1. illa facta sunt? Quamobrem & Moses *sic' in libro Originum,verba Dei recensendo,Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quem appellauit,dicendo Faciamus?Hoc quidem Moses non expressit. sed postea apostoli expresserunt, cùm dicerent, Deum per filium creasse. Alloquutus est igitur Deus verbum suum. Quod quidem & illo verbo signi-
Gen. 3. „ ficatur ad Adamum facto· Ecce, inquit, factus es, tan-
„ quam vnus ex nobis. Quis loquitur ad hunc modum, nisi qui aliquem similem sibi habeat? Videtur idem significatum esse illis verbis priùs ad Adamum factis·Eritis sicut dii. Annumerat igitur Deus sibi verbum: quibus similis fieret Adamus. Aliqui angelos intelligunt. Sed neque constat, eos iam tum fuisse; neque vspiam scribitur, vel creasse eos, vel per eos creatum esse aliquid. Quæ igitur incerta sunt, omittamus; quæ autem certa, ea sequamur; verbaque Ioannis de omnibus rebus conditis intelligamus. Quod vt magis perspicuum
„ fiat,addit Ioannes contrariam sententiam. Et sine ipso,

inquit,

inquit, factum est nihil, quod factum est. Tu hanc particulam de nouitate seu regeneratione intelligis. Et certè aliquid diceres, si ita scriptum fuisset, Et sine ipso factum est nihil, quod nouum factum est. Intelligeremus * omnino nos admonitos esse de sensu particulæ illius, Omnia per ipsum facta sunt. Sed cùm ita Ioannes non scripserit, quid opus est istis additamētis, quibus reclamāt loca clarissima? Quin potiùs sic interpretamur, Sine ipso factum est nihil, quod factum est: Hoc est, ex iis, quę facta sunt. & sine eo ne vnum quidem factum est. Sic enim Gręci legere dicuntur, ὃ γέγονε. Estque hoc obseruandum, scripturam aliis verbis vti, cùm de regeneratione loquitur: aliis, cùm de creatione. De illa loquens, vocat nouam creaturam, reconciliationem, creaturam ad bona opera, creationem duorum in vnum nouum hominem. Eam autem creationem, quæ sit ex nihilo, vocat creationem mundi, creationem seculorum, & aliis similibus *. Itaque Ioannes postea addit, In mundo erat; & mundus per eum factus est; & mundus eum non cognouit. Nonne in hoc mundo erat Christus, in quo habitamus? Certè. Igitur & hic mundus, per eum factus est. Quod certè non tantùm de regeneratis intelligendum est: sed vniuersè tum de ipsa machina, tũ de hominibus in mundo habitantibus. De quibus subdit, Et mundus eum non cognouit. Homines enim mundani, qui mundi sunt, sapiunt; non ea intelligunt, quæ sunt spiritus Dei. Tandem de illo verbo, quod dixit fuisse in principio,

* *Videtur deesse enim.*

Ephes. 2.

* *Videtur aliquid desiderari.*

addit, Et verbum caro factum est. Nihil autem refert, dicas factum esse, aut fuisse. Satis enim significat, verbum illud principiò fuisse, & tandem hominem factum esse, nobiscumque habitasse. Tu intelligis carnis nomine maledictionem, & contemptum. Verùm Ioannes dicens, illam carnem nobiscum habitasse, apertè significat, se de homine loqui ex Maria nato: cuius gloria sit à nobis conspecta: & quidem gloria eiusmodi, quæ doceat, vnigenitum patris plenum gratiæ, & veritatis. Sentiendum est igitur, illud verbum, quod erat in principio apud Deum, tandem factum esse carnem, hoc est, hominem. quemadmodum & Paulus loquitur, deum
1. Tim. 3. » manifestatum esse in carne. Confirmat autem Ioannes hanc sententiam & Baptistæ testimonio: qui de Chri-
Ioan. 1. » sto loquens, dixerit: Ipse est, qui post me venturus est,
» qui me antecessit: cuius ego non sum dignus vt soluam
» eius corigiam calciamenti. Et postea idem Baptista,
» Christo ostenso, repetiit eadem verba, Hic est, qui post
» me venit vir; qui me antecessit, quia prior me erat.
Quomodo autem intellexerit Baptista, quod dixit, eum se antecessisse, verbis ipsius ostendi potest, cum sic, de Christo verba faciens, ad discipulos suos loquebaIoan. 3. » tur, Illum oportet crescere, me autem minui. Qui de sursum venit, super omnes est. Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est. Apertè testatur Baptista, Christum de cœlo venisse: vt hinc luce clarius appareat, quod priùs dixit, eum ante se fuisse, hoc hîc eum dicere, priùs in cœlo Christum

ſtum extitiſſe, qui in hunc mundum veniſſet. Afferamus ſimilia loca. vt ſi in vno ſit aliquid obſcuriùs dictum, alio clariore explicetur. Apud Ioannem ſic Chriſtus loquitur, Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Tu dicis, Chriſtum hîc loqui de carne ſua, quam pro cibo dederit diſcipulis ſuis: cumq; dicit, ſe de cœlo deſcendiſſe, oſtendere, ſe cibum cœleſtem eſſe, non terrenum; quemadmodum alibi dicit, baptiſmum Ioannis è cœlo eſſe, quòd eſſet res cœleſtis, non terrena. Etſi autem hoc verum ſit: tamen conſiderandum eſt, Baptiſtam de ſe non dixiſſe, quòd de cœlo deſcenderit. Immo ipſe comparationem ſui cum Chriſto faciens, dicit, illum de ſuperis veniſſe, ſe autem de terra eſſe. Addit etiam: Qui de cœlo venit ſuper omnes eſt: & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur. Vbi igitur audiuit, niſi ibi, vnde venit? Audiamus ampliùs, quid ipſe filius loquatur. Deſcendi, inquit, de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatẽ eius, qui miſit me. Murmurabant autem Iudæi dicentes: Nonne hic eſt filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit ſe de cœlo deſcendiſſe? Tu Chriſti deſcenſum ad eius humiliationem in carne refers. Verùm quid opus fuiſſet hoc murmure Iudæorum, qui eum viderent & humilimum & pauperrimum & ſanctiſſimum virum. ita quidem, vt, cùm Iudæos ſic alloqueretur, Quis veſtrum arguet me de peccato? nemo eſſet, qui vel minimum peccatum poſſet illi obiicere. Sentiendum eſt igitur, illud, quod de deſcenſu de cœlo di-

« Ioan. 6.
« Ioan. 3.
« Ioan. 6.
« Ioan. 8.

cit, propriè esse accipiendum. Quod cùm Iudæi propriè etiam intelligerent, offendebantur; quòd rem non verisimilem Christus eis loqui videretur. Quòd si impropriè verba illa accipienda essent, certè Christus admonuisset eos; quemadmodum, de esu carnis suæ & potu sanguinis loquens, ac inde Iudæos offensos videns, admonuit eos, non propriè verba illa accipienda
» esse. Verba, inquit, quæ ego loquutus sum, spiritus, &
» vita sunt. Vbi & ascensionis suæ meminit; vt significet, de alia ratione edendi, & bibendi se loqui, quàm illi accepissent. manducationem enim sui carnalem * ascen-
*ascensio, & aufert dicendum videbatur. sionem' in cœlum prorsus * auferre'. Addamus & alia
» Christi verba ex Ioanne. Exiui, inquit, à patre; & veni
» in mundum. Iterum relinquo mundum; & vado ad pa-
Ioan. 16. » trem. Non ne & hæc verba intelligenda sunt de descensu de cœlis? Dicit enim, Iterũ relinquo mundũ. Quod non diceret, si priùs non fuisset ibi, quò ascensurus esset. verba autem hæc Christi adeò clara visa sunt apo-
» stolis, vt dicerent, Ecce nunc palàm loqueris: & prouer
» bium nullum dicis. Nunc scimus, quia scis omnia. In
» hoc credimus, quia à Deo existi. Sciuerunt apostoli, deũ patrem in cœlo esse. Cùm igitur Christus diceret, se ad patrẽ ire: intelligebant haud dubiè, in cœlum eum ascensurum, vnde venisset. Sed ex contrario facilè intelligitur, qualis sit descensus, de quo Christus loquitur.
Marc. vlt. » Christus dicit, se ascensurum, vbi erat priùs. Qualis erat ille ascensus? Marcus sic narrat. Postquam Domi-
» nus loquutus est, assumptus est in cœlum. Lucas autem

sic, Et

sic, Et factum est, dum benediceret illis Iesus, recessit « Luc. vlt.
ab eis; & ferebatur in cœlum. Et iterum, Videntibus « Act. 1.
discipulis, eleuatus est; & nubes suscepit eum ab oculis «
eorum. Concordissimè loquuntur omnes, ascensum illum re ipsa fuisse. Igitur & descensus re ipsa erat: cùm, qui priùs sermo deus erat apud Deum, tandem caro factus, manifestatus sit in carne. Quàm autem hoc sit necessarium creditu, Christus ipse aperit his verbis, apostolos patri commendando, Tui erant; & sermonem « Ioan. 17.
tuum seruauerunt. Verba, quæ dedisti mihi, dedi eis; «
& ipsi ea acceperunt. & cognouerunt verè, quia à te e- «
xiui; & crediderunt, quia tu me misisti. Est igitur hoc perneccessarium, vt credamus, Christum à Deo exiuisse, & missum esse, & iterum ad eum rediisse. Colligamus, quæ fusiùs diximus, breuiter, hoc modo: In principio erat verbum, & quidem apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. per ipsum mũdus, & secula facta sunt. Venit, & descendit de cœlo, & de superis. Ascendit, vbi erat priùs. Glorificatus est ea gloria, quam habuit apud patrem ante conditum orbem. Quid ex tot tamq; claris sententiis concludi par est, quàm Christum priùs fuisse, quàm ex virgine Maria nasceretur? Sunt & illa notanda, quæ de se sapientia Dei loquitur: quæ quidem est verbum * suum: Dominus possedit me initio « * Pro ipsius Dei.
viarum suarum i antequam quicquam faceret ab initio. «
Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis i antequam ter- « Prouer. 8.
ra fieret. Nondum erant abysi. & ego iam concepta e- «
ram. Quando præparabat cœlos, aderam. Quando ap- «

Eccle. 24. » pendebat fundamenta terræ, cum eo eram, cuncta di-
» sponens. Et alio in loco, Ego ex ore supremi prodii: an-
» te omnem rerum natura genita. Ego feci in cœlo, vt o-
» riretur perenne lumen & quasi nebula terram omnem
» operui. Ego in sublimi consedi, solium habens in nubis
» columna. Cœli orbem sola circuiui. & ima perambu-
» laui profunda. Tum omnium conditor, qui me crea-
» uit, meum fixit tabernaculum, mihi præcipiens, vt in
» Iacobęis degerem, in Israëlitis possessionem haberem,
» ac inter eius electos radices agerem. Is me ante æuum
creauit nunquam defecturam. Hæc, & his similia clarè
* Id est, ipsius Dei. sonant de ęternitate sapientiæ Dei: quę est filius *suus'.

Etsi autem Pinzouii multa congesserunt pro sua opinione: Tamẽ omnia ferè de Christi humana natura accipienda esse, facilè quisque ex circumstantiis cognoscet. Cuius quidem humanæ naturæ obtentu, diuinam naturam à Christo excludere nituntur: non rectè, mea sententia. neq; enim, exempli causa, ab homine corpus excludendum est, propterea quòd proprietates animæ (quæ altera pars est illius) ei non competunt. neque item animam ab eo separari oportet, quòd quæ corpori propria sunt, illi accommodari nequeunt. Seruentur proprietates vtriq; naturæ suæ. Et vt naturæ non confunduntur, nec vna migrat in aliam: ita proprietates earum ita obseruentur, ne vtræque elidant alteras. ad hunc modum & natura diuina retinebit dignitatem suam: & humana non amittet locum suum. Memorantur autem passim in sancta scriptura eiusmodi attributa,

quæ

quæ vni Christo nullo modo competerent, nisi diuersarum naturarum respectu. Natus est ex Maria virgine: At exitus eius est à diebus æternitatis. Erat in forma serui: sed & in forma dei. Erat pauper: sed idem & diues. Erat nouissimus virorum: sed idem quoque dominus gloriæ. Creuit sapientia apud Deum, & homines: At ipse est sapientia supremi dei. Ignorabat diem iudicii: At in eodem sunt omnes sapientiæ, & scientiæ opes reconditæ, Col. 2. Sitit, esurit: At in eo est aqua vitæ; estque panis dans vitam mundo. Est filius Dauidis: At idem est dominus eiusdem. Mortuus est: At idem est resurrectio, & vita. Hæc & alia multa Christo tribuuntur. quæ sine contradictione vni tribui non possent, nisi naturarum duarum respectu; quarum altera humana est, passibilis & mortalis: altera diuina, immortalis & impassibilis.

Iam de communicatione idiomatum difficile quidem est obtinere, vt, quod vnius naturæ est proprium, transferatur ad alteram, nisi per quandam catachresin. Cui in sacris literis sæpe locum esse, ab aliis ostensum est. Inter res creatas nihil simile est vnioni naturæ diuinæ, & humanæ in Christo; nisi fortè vestigium eius aliquod in homine reperiatur. in quo certè mirabilis est connexio animæ immortalis cum corpore mortali. Quòd si * eam ipsam liquidò in nobis cernimus, ne illam quidem mirificam humanæ naturæ cum diuina coniunctionem allatrare sustineamus. Omissis igitur illis personalitatibus à Sophistis excogitatis, quas defendere

* Id est, eiusmodi connexionem.

fendere opis non est nostræ; sobriè loquamur de tantis mysteriis. cautè etiam & modestè de illis sentiamus. Neque repudiemus contumaciter cuncta, quæ à vetustate per manus accepimus. neque omnibus inconsideratè assentiamur. In id quidem omni studio incumbendum est, ne quid in Ecclesia recipiatur, quod certæ & perscriptæ doctrinæ catholicæ & orthodoxæ fidei sit contrarium. Neque tamen illud dissimulauero (persona enim à me semel suscepta sustinenda adhuc mihi est) esse quosdam, qui verba Ioannis illa (verbum caro factum est) ita interpretentur, vt, quod antea verbum fuisset, iam tandem caro sit. Non enim Ioannem dixisse, vnitum esse verbum carni: sed verbum factum esse carnem. Deum, qui ex nihilo faciat aliquid, & hoc fecisse, vt ex aliquo aliquid fieret: &, quod antea verbum fuisset, iam sit caro. Quod si ita esset (non ausim enim quicquam affirmare, & quantùm id valeat, ostendi in prima sylua capite de logo) omnes subitò (vt quidem mihi videtur) euanescerent dubitationes. quæ quidem & plurimæ sunt & difficillimæ in hac causa. Omnes sophistarum distinctiones de persona, & natura, & illi labyrinthi de non suppositatione naturæ à verbo assumptæ, abirent. Plana & aperta essent omnia, quæ in hac materia à Scholasticis disputantur: nec adhuc definita sunt: nec vnquam (quod quidem intelligam) definientur. Haud scio (quid enim obstat, quominus diuinemus bene in rebus propè desperatis) an non iam pastor vnus esset, & vnum ouile: totusque tandem Israël saluus

fieret

fieret iuxta verbum Pauli. Sed nos ista tam profunda in medio relinquamus. Deumque misericordem supplices precemur, vt tãtas procellas à sua ecclesia depellat: ac nos ex isto mari tam turbulẽto ad portum deducat. In quo tandem placidissimè conquiescamus: expectantes aduentum magni illius dei & seruatoris nostri Iesu Christi domini nostri. Rom. 11.

CAPVT II.

Præcisio cum cohortatione cuiusque ad suum officiũ, & ad vitam Christianam.

Nos verò concertationes istas missas faciamus; Christumque sermonem patris agnoscamus: monentis nos, si ad vitam cœlestem aspirare velimus, vt sermonẽ suum audiamus, & perdiscamus: hoc est Christum audiamus. hoc autem est, vt iterum interpretemur, fidem illi habeamus, spe inhæreamus, charitate proximo seruiamus, & in operibus Deo placentibus spacium vitæ huius decurramus. Hoc est, quod ab ipso Christo, & ab apostolis ipsius docti sumus. Non illi, nos arcana maiestatis diuinæ scrutari, non Christi viscera rimari, voluerunt. Docuerunt nos verbo & exemplo, facto quid opus esset. Venite, inquit ille dominus & magister noster, ad me omnes, quicunque onerati estis; & ego reficiam vos. Exemplum vobis dedi; vt, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Intueamur Christi vitam omnem; vt, quid nomen & professionẽ nostram deceat, cognoscamus. Natus est pauper in tuguriolo, eodemque alieno. Omnem vitam traduxit in pauperta- « Matth. 11. « « Ioan. 13. « «

te docendo, ægrotos sanando, mortuos ad vitam reuocãdo, beneficiis infinitis homines afficiendo; ad extremũ, moriendo, &, cùm descẽdisset ad inferos, à mortuis resurgendo. Non'ne hęc vita Christi docet nos omnes, quieius religionem profitemur, vt simus sine re, dignitate, honoribus: vt hæc omnia contemnamus: ipsamque mortem, si res postulet, oppetamus? Nos autem

Phil. 2. „ quid? Omnes, inquit apostolus, de nobis loquens,
„ quærunt, quæ sua sunt: non, quæ Iesu Christi. Amor mundi nimius, cupiditates, voluptatum illecebræ occupant nos. Aurum, argentum, suppellectilem lautam studiosè conquirimus. Honoris, opum, vt potestatis ambitum in nobis regnare atque dominari patimur. Ex quo fit, vt in malitia, in peruersitate, in adulando, in vlciscendo, in omnia miscendo potiùs, quàm in Deo & Dei ope fidentes, ea agamus, quæ error mentis corruptumque iudicium finxit atque constituit sibi bona. Hæc verò omnia an non manifestè indicant, nos verbo quidẽ christianos esse: re autem atque factis omnia alia potiùs consectari, quàm quæ sunt huic nomini & professioni propria & consentanea? Inspice & tu, Papa, tui ordinis mores, & disciplinam. Dicimini serui seruorum dei, successores apostolorum, vicarii Christi.

Matth. 9. an verò hi tituli cum rebus congruunt? Obibat Iesus, vt narrat Matthæus, vrbes omnes atque vicos, docens in eorum conuentibus, & regni euangelium prędicans.

Matth. vlt. „ Quod & apostolos iussit facere. Ite, inquiens, in vni-
„ uersum orbem, docentes & baptizantes. Vita igitur

Christi

Christi, & apostolorum, peregrinationibus perpetuis & nulla ciuili curatione occupata, in doctrina euangelica orbi prodenda maximè exercebatur. Tuum verò sacerdotium quale? Negare non potestis, vos primùm quærere dominationem, pompam, splendorem mundanum, lac, & lanam. Deinde datis operam missis audiendis, & aliis ceremoniis: doctrinæ verò, aut nullam aut perexiguam. Lege Tridentina sancitum est, omnes episcopos, archiepiscopos, primates, & omnes alios ecclesiasticos prælatos teneri per se ipsos docere sanctum Iesu Christi euangelium. Quotus autem * vestri ordinis reperitur, qui huic legi satisfaciat? Puto & te, Papa, nomine episcoporum comprehendi. An verò vel tu, vel aliquis eorum, qui ante te hunc pontificatum gesserunt, munus docendi obibant? Profectò, si in curam docendi verbi Dei tota mente omniq; studio incumberetis, fieri non posset, quin multi vestrûm tenaces fuissent, iuxta apostoli verbum, eius sermonis, quo docere imperitos valerent, cohortari cessantes, cõuincere contradicentes. Hoc verò si factum fuisset, si ordini vestro hoc præcipuum munus extitisset, nunquam hæreses exortæ fuissent, quę & concordiam publicam, & authoritatem religionis apud multos comminuerent. Harum hæresium duas vel præcipuas his tẽporib. exposuimus: additis etiam iis, quæ contra illas dici possint. alteram vniuersæ Christi ecclesiæ, alteram tibi primas in illa ferenti inscripsimus: in spe quidem gratificandi tibi: mihique abs te gratias, si non referendi, certè agendi. Sin

Concilij Trid. sess. 5. cap. 2.

** Videtur desiderari quisq;*

Tit. 1.

neutrum horum meretur ſtudium hoc noſtrum, offenſam tamen vt vitem tuam, non'ne æquiſsimum fuerit? Hęc ſcripſi ſolicitus de bonis meis patriis auitisque. de quib⁹ periclitor authoritatis tuæ prætextu; quæ abs te, tanquam fulmen quoddam vulnificum in me vibrata eſt. Iure'ne id verò, an iniuria, haud ſcio. Vulgò quidem gaudetis dici (de te loquor, & tuo cuncto ordine) ſpirituales; vt ſpiritualia vobis curæ eſse, nec rerum terrenarum curationem ad vos pertinere, hac ipſa appellatione ſignificetis. Sed tamen prę ſcriptam eſſe eam authoritatem & tuorum ſcribarum obſignatione firmatam ſcio: tuo'ne verò iuſſu, an te imprudēte, neſcio. Sed vt vt eſt, Deum precor opt. max. vt poteſtatem iſtam tuam moderetur æquitate: eamq; conuertat (vti vicarii ſui) ad ſeruandos homines potiùs, quàm ad perdendos facultatibusq; eorum exuendos. Vnde tandem quid non mali exiſteret? Vale. Anno Chriſti 1568. menſe Iunio.

Trepnicii.

FINIS TERTIAE SYLVAE.

ANDREAE

ANDREAE FRICII MODREVII SECRETARII REGII SYLVARVM LIBER QVARTVS,

DE HOMOVSIO, ET DE IIS, QVAE huc pertineant.

ANDR. FRICIVS MODREVIVS IACOBO *Vchanio Archiepiscopo Gnesnensi Legato nato & Primati Regni Poloniæ S. D.*

NON adhuc consensio de axiomate Triadis diuinæ constituta est; nec spes vlla ostenditur eius constituendæ. Mihi verò quiescere adhuc non libet, ac fortasse etiam non licet, quo minus lapidem moueam omnem ad eam constituendam. Hortatus sum Regem, quod in secundo syluarum libro appa ret, ad indicendum conuentum, in quo id agatur. Appellaui eadem, aut certè huic simili de re, Pium Quintum Papam. Cùm autem tu Pontifex Maximus sis in his prouinciis nostris, ac primas in hac Repub. secundum Regem feras, tuum est omnino curare, quicquid ad rem rectè & ordine gerendam pertineat. Memini te annis ab hinc fortè octo, libellis iam tum in vtramq; partem euulgatis, theologos quosdam hortatum esse, præmiis non mediocribus propositis, ad decidendam eiusmodi contentionem. Inter cæteros autem, * Iesuidas (sic enim appellantur) nonnullos, qui præ cæteris singularis eruditionis nomine cõmendarentur, nominatim appellasse de hoc negotio. Sed, quod sciam, ni-

* *Sic est in autographo, per d. non per t.*

hil adhuc ab illis factum est. Interea vides maiorem di uulsionem factam:& qui priùs,veteri eademque vulgatissima Ecclesiæ sententia relicta,concordes fuere,iam eos dissectos esse. Cùm igitur prioribus syluis eos appellauerim,qui principes sunt religionis ac interpretes religionum: hanc syluam de Homousio tibi dicandam putaui; vt & tu,qui sis apud nos sacrorum antistes summus,maximè tibi incumbendum existimes(id quod te moliri non dubitamus) ad veram doctrinam restauran dam,& pacem ecclesiarum conciliandam. Etsi autem fons doctrinæ veræ & synceræ, vnde ea haurienda sit, præter sanctas scripturas, alius habeatur nullus: tamen vt ea ipsa per manus veterum,piè & consentienter oracula dei enarrantium,tanquam flumine limpido defluueret, & ad nos dimanaret, permultis viris pietatis religiosæ maximæ curæ semper fuit. Cum igitur assertio Homousii ad authoritatem Nicænæ synodi, Constantino Imperatore ab episcopis amplius trecentis ex omni Christiano orbe collectis, celebratæ, in primis referatur:visum mihi est faciendum, vt synodi illius decreta ab historicis temporum illorum conscripta cognoscerem: eaque etiam,quæ à synodis proximè subsequutis vsque ad Constantinopolitanam,Constantio imperante, de eo ipso Homousio disputata & decreta sunt, adderem.Hoc enim tempore,quod intersynodos,quas dixi, interfluxit, Homousion, ita vt non alio vnquam magis, iactatum esse videtur. Te verò decet, Pontifex Maxime, inspicere ista:& ad instaurandum quasi ædificium

cium multis in partibus ruinosum, omnes conatus adhibere: considerantem & munus tuum proprium,& calamitates tum præsentes tum impendentes : quæ non tantùm perniciem Reip. sint allaturæ:sed & salutem vitamque æternam erepturæ mortalibus. Doctrina cœlestis variè attingitur. Vitæ & morum deformitas, actionum facinora in oculis sunt omnium. Disciplina prorsus soluta iacet. Detrimenta Reipublicæ apparent infinita. Correctio & medicina nisi tempestiuè adhibeatur, quis tandem exitus rerum expectandus? Sed tibi non opus est admonitione nostra,rectè perspicienti hæc omnia; vt actio tantùm, in qua laus virtutis consistit, addenda esse videatur. Inspice igitur & officium muneris tui, &ætatem prouectam tuam. Non possunt esse dies longi vitæ tuæ,meæque annum climactericum(vt vocant) prætergressæ.Omnium igitur rerum curam, præterquam solius Dei, & eius verbi æterni,abiicere nos oportet. Ego in hisce syluis meis,omni authoritate humana remota, omnibus præiudicatis opinionibus sepositis, ea dixi, quæ in vtramque partem posse dici videbantur;omnibus quidem iudicandi permissa potestate. Facies igitur & tu è Republica, & ex religionis dignitate, si omnia procuraueris, quæ ad rem tanti momenti maximè pertinere videbuntur: illud omnino persuasum habens, nulla re ad Deum propiùs te accedere posse, quàm religione pura & casta procuranda: nulla re ab eo remotiorem fieri, quàm ea deserenda, ecclesiaque Dei negligenda, quam ille sanguine

guine suo acquisiuit. Te rogo, Domine, vt studiis nostris, si merentur, faueas: meque in omnes partes tuendum suscipias: postulante id beneuolentia in me tua veteri, obseruantiaque in te mea constanti & perpetua. Vale. Anno Christi 1569. mense Iunio. Ex aquato prato Poticaniorum.

ANDREAE FRICII MODREVII SYLVARVM LIBER QVARTVS DE HOmousio, & de iis, quæ huc pertineant.

PRAEFATIO.

*Cùm Typographus daret operam excudendis syluis nostris, nec dum primæ syluæ finem imposuisset: nunciatum mihi est, quosdam nationis Germanicæ eruditissimos homines de hoc argumento, quod à nobis de Triade diuina tractatum est, aliquid conscripsisse. Celeriter igitur admonui Typographum, vt ab imprimendo tantisper desisteret, dum, quid hoc rei esset, cognoscerem. Ferebatur autem, amicum quendam meum, qui in intimam Germaniam aliquoties, vt illos, quos dixi, ad tale tantumque opus * excitasset, excurrerat, eius scripti exemplа multa attulisse. Quem quidem vel pro iure amicitiæ, vel quòd perspectū omnino haberet, me aliquid in hoc argumento elaborasse, sperabam aliquod exemplar ad me missurum, vt amicitiæ pignus hoc ab ipso acciperem: simulque haberem, vnde melius sapere discerem: opiniones priores, siquidē erroneæ essent, abijcerem: scriptaque emendarem mea, quem ego studiorum fructum puto esse maximum. Sed, cùm spes illa frustrata me esset: studui nihilominus, vt aliunde conquirerem scripta eiusmodi. Et conquisiui quidem serius omnino, quàm volebam. Cùm autem Typographus vrgeret, vt, quod supereset, typis exprimere illi liceret: nec quiuissem librum bene longum cum tanta consideratione legere, quantam requirebat rei magnitudo: quod per angustiam temporis licebat, percurri librum, vt in quam partem author incumberet, cognoscerem. Animaduerti autem, quædam ab eo notata esse, quæ in meis*

* Pro excitaret.

in meis syluis ad verbum continerentur. ac quæ ab eo stomachosioribus verbis reprehensa sunt, mutaui: quæ scilicet nondum à Typographo expressa fuerant. Eo enim ingenio sum, vt cedam meliora docentibus. Tametsi haud scio, an is cedere dici debeat, qui, nihil affirmando, neutram in partem inclinet: sed vtriusque partis argumenta ponat ante oculos: potestatem omnibus faciens contradicendi, ac ea liberè pronunciandi, quæ cuiusque animus ferret. Neque dubito, quin Simlerus vir doctissimus ita argumentum hoc tractauerit, vt vix aliquis quicquam amplius desiderare possit. Sed enim axioma hoc tot & tantas subterfugiorum latebras continet, vt plurimùm interfuisse existimem, à multis tractatum fuisse. Itaque inter me, & Ioannem Oporinum constitutum fuerat, vt, cùm syluas nostras typis excudisset suis, eas ex emporio Francofordiensi (quò ex omni ferè orbe Christiano solent cõuenire plurimi) transmitteret cùm ad viros quosque doctissimos, tum ad Academias, quæcunque Christum agnoscunt, seu Romanis, seu Lutheranis, seu Sacramentarijs (vtor appellationibus vsitatis) addictas. Nec dubito, quin vel * meo impendio facturus fuisset vir ille eruditionis & pietatis commemorandæ: qui nihil intermittere soleret, quod ad salutarem cùm literarum, tum veritatis Christianæ propagationem pertineret. Sed quo minus, quæ dixi, excuderet, remoræ quædam interceserant. Acceserat & studium popularis cuiusdam mei: pium fortasse illud, sed, * quod existimem', parum prudens. Is quibusdam technis, ne quid dicam aliud, vsus, librum meum Basilea ablatum asportauit, quò volebat. Neque verò doleo, in manus Tigurinorum theologorum summa eruditione præstantium eum peruenisse. Ex quorum Academia opus pulcherrimum, vt spero, exiuerit, totam hanc causam egregiè explicans. In quo vtinam omnes acquiescant: ac, sublatis contentionibus, salutarem doctrinam amplectantur. Verumtamen contentiones istæ longiùs excurrisse videntur, quàm vt alicuius vnius, quantumuis salubrem, vocem audire, & sequi velint. Obtestatus sum igitur omnes pios & ad regnum Christi eruditos viros, vt in hanc causam toto pectore & omni animi impetu incumberent: ratus nimirum, Ecclesiam certiorem futuram & pacatiorem, censuris multorum perspectis, quàm alicuius vnius iudicio. Sequens igitur primam animi inductionem syluas priores duas nonnullo auctario locupletatas sub incudem dedi: vt typis euulgatæ ad

* Suo, potiùs dicendum videbatur.

* Pro, vt existimo. Aut non rectè hæc duo verba à reliquis distinxit auctor ipse.

*omnes omnium nationũ viros eruditos perferantur: occasionemque dent eis de re longè omnium maxima censendi, & iudicium ferendi, vt tandem consensione multorum sententia recta de rebus diuinis confirmetur. Haud scio, an non eiusmodi consensio instar habitura esset sententiæ synodi generalis, aut etiam omnino maius. In synodo enim verisimile est, multos communicare priùs inter se, quid dicturi sint, vt numero maiore vincant pauciores: vel si meliora illi dicant & cum literis sanctis magis congrua. Quod in eos, qui in locis varijs ac spacio locorum seiunctissimis habitant, non tam facilè cadere potest: scilicet occasione illis adempta communicationis sermonum, & collationis sententiarum: necessitate autem imposita ad ea celeriter patefaciendum, quæ * religionis dignitatem & ecclesiæ consociationem profutura existimarent. Quoniã autem Nicænæ, & aliarum synodorum decreta in hac causa maximè proferuntur: visum est mihi diligentiùs perquirendum, quid illæ sequutæ fuerint, vt homousion personarum diuinarum confirmarent: simul etiam, quæ vis sit & notio vocis Homousij. Deinde quædam in prima sylua, monitu virorum doctorum, notabimus: nonnulla etiam explicabimus. Post, quid pijs hominibus in hoc sectarum vberrimo prouentu faciendum sit, indicabimus. Tandem viros eruditos, qui à professione Theologi nominantur, officij sui commonefaciemus. Postremò, quid in his contentionibus de doctrina fidei sequendum putemus, ostendemus.*

*Desideratur, ad.

CAPVT I.

Quid Nicæna synodus, & nonnullæ, eam sequutæ, de Homousio senserint.

In primis igitur formula confessionis fidei in synodo Nicæna composita expendenda est. Quæ quidem formula, cùm, Constantino Imperatore præsente, lecta fuisset, ab omnibusque sine vlla contradictione confirmata esset, repetita denuo est, ac in eam insertum, Iesum Christum ex patre genitum esse, vnigenitum, hoc est, ex essentia paterna, coëssentialem patri: per quem omnia

omnia facta sunt, cœlestia & terrena. Addita sunt in eadem formula alia dogmata fidei nostræ. Quæ nihil attinet in præsentia referri. Illud quidem vt recitemus, necesse est, non omisisse patres, quin, quæ obscuriùs dicta fuissent, eorum interpretationem adderent. Erant autem hæc præcipua. Quomodo filius ex patris essentia, & quidem consubstantialis patri esset: genitusque, non factus, diceretur. Quod & Imperator ipse, & post eum synodus ita interpretati sunt, vt dicerent, illud EX ESSENTIA demonstrare, esse quidem ex patre, & ex patris natura filium: sed non quasi partem recisam ab eo: COESSENTIALITATEM autem ita intelligendam esse, quòd nihil similitudinis cum creaturis habeat filius, sed patri sit SIMILIS, nec ex alia, quàm patris, substantia aut natura genitus: & quidem genitus, non autem factus: Qua item re à creaturis distinctum esse, quæ ab ipso factæ essent: nihilque * sibi cum illis simile: sed melioris substantiæ eum esse, quàm sit vlla creatura. Hæc in synodo dicta & explicata ad hunc modum fuere. In quibus primùm quidem ita, vt dictum est, philosophabatur (sic enim narrat historia) sapientia & pietate summa Imperator. Deinde & plerique omnes, qui huic accesserunt, & dictionem admiserunt: quam priscos doctores, & celebres episcopos, scriptoresque, in disputatione deitatis patris, & filii, scirent vsurpasse; cùm quidem omnibus ob oculos versaretur pacis propositum & in recta sententia perseueratio. Hęc traduntur à rerum ecclesiasticarum scriptorib⁹. à Socrate lib.

* Pro ipsi.

1. cap. 8. à Theodoreto lib. 1. c. 12. Clarè autem affirmant, consubstantialitatis nomine similitudinem filii cum patre intelligi: eandem autem à creaturis excludi. Quod autem locupletius testimoniũ eiusmodi interpretationis, quàm synodi illius, quæ post tempora apostolorum prima, & à Constantino cognomento Magno, qui primus Imperatorum omnium Christianam religionem amplexus est, coacta fuerit? Sed, si placet,

Socr. lib. 2. cap. 10. addamus & alia testimonia. Eusebius Constantinopolitanus episcopus & Synodus Antiochena sub Constantio congregata in fidei expositione, cùm de Christo dixisset, esse vnigenitum filium Dei ante secula genitum à patre, per quem omnia facta sint: dicit tandem
» esse similem per omnia, diuinitatis, essentiæ, potentiæ,
» voluntatis ac gloriæ patris imaginem: primogenitum
» omnis creaturæ, & reliqua. Tandem & verborum Chri-
Matth. 28. » sti meminit, Profecti, inquit, docete omnes gentes, Ba-
» ptizantes eos in nomen patris & filii & spiritus sancti.
» Patris videlicet verè patris: & filii verè filii: & spiri-
» tus sancti verè spiritus sancti existentis: nominibus i-
» stis nec simpliciter nec otiosè positis: sed exactè pro-
» priam cuiusq; nominatorum hypostasim, dignitatem,
» ac gloriam significantibus: ita vt hypostasi tria, con-
» cordia vnum sint. Et hæc quidem ex sensu synodi Ni-
» cænæ: in qua dogma Arianum præcipuè confutatum erat. Ante eam Synodum erat Alexandro episcopo Alexandrino cum Arianis acris contentio. De qua scribit (ex sententia concilii, quod contra Arium collegerat) ad

rat) ad ſuum cognominem Alexandrum epiſcopum Conſtantinopolitanum. Affert autem inter cætera illa Chriſti verba: Ego, & pater vnum ſumus. ac ſic dicit ad verbum: Quod autem ait, non ſeſe patrem perhibens, neque ſubſtantias duas vnam faciens: ſed quòd ſimilitudinem paternam ſoleat exactè referre filius: expreſſa ex natura ipſius planiſsimè qui ſit inuariabilis imago patris, & expreſſus è primitiuo character. Itaq; & Philippo, qui tum aueret patrem cernere, benignè demonſtrat Dominus: cùm illi dicenti, Oſtende nobis patrem, reſpondit: Qui me vidit, vidit & patrem; tanquam per ipſum, velut immaculatum & animale ſpeculum diuinæ imaginis, pater conſpiceretur: quem in pſalmis ſimilem ſanctiſsimi aiunt: Apertè hîc teſtatur Alexander Alexandrinus, de ſententia ſynodi filium ſimilitudinem paternæ naturæ referre. non autem dicit, vnitatem eſſentiæ eum retinere. Paulò pòſt ita ſcribit: Aiunt illi ineptarum fabularum inuentores, nos aueſſantes hanc de nihilo in Chriſtum, impiam & nuſquam perſcriptam blaſphemiam, ingenita duo introducere. neceſſe enim horum eſſe alterum aiunt inſipientes iſti: vel, vt filium de nihilo extitiſſe ſentiamꝰ, vel, duo eſſe ingenita, fateamur. Sed ipſi inertes nõ vident, quantum interſit inter ingenitum patrem, & quæ ab illo ſunt condita, cùm rationales, tum irrationales creaturæ: Quorum eſt media vnigenita natura: per quam hanc vniuerſitatem de nihilo fecit pater dei verbo: quæque ex ipſo vero patre genita eſt. Sicut & ipſe ali-

Theod. lib. 1. cap. 4.

Ioan. 10.

„ alicubi testatur Dominus: Qui diligit patrem diligit &
„ filium genitum ex ipso. De quibus ea est fides nostra,
„ quam probat ecclesia catholica. Videmus, & his verbis
non eiusdem essentiæ dici filium cum patre: sed mediæ
naturę inter ingenitum patrem, & inter res creatas om-
nes. Paulò pòst Christi verba adducit Alexander ista:
Matth. 11. „ Nemo scit quis sit pater, nisi filius. & nemo scit, quis fi-
„ lius, nisi pater. Hunc immutabilem, inquit, inuariabi-
„ lem, vt patrem, indigentem nullius, perfectum filium,
„ assimilem patri, accepimus: Solùm hoc inferiorem pa-
„ tre, quòd ingenitus non sit. Imago enim est exactissi-
„ ma, expressa, & indeprauabilis patris. & plena eorum
„ omnium esse imago debet, quibus maior similitudo re-
„ præsentatur. Sicut & ipse Dominus docuit, cùm ait: Pa-
Ioan. 14. „ ter maior me est. Hactenus Alexander. Quem quidem
postea vnum Patrum Nicænorum fuisse, ex epistola sy-
Theod. libr. 1. cap. 9. nodi Nicænæ ad ecclesiam Alexandrinam constat. In
qua epistola vocat ipsum Alexandrum collegam su-
um. Planè autem ostenditur his verbis, Orthodoxos
ante Nicænam synodum sensisse, filium patri similem:
eiusque naturam, inter patrem, & creaturam, mediam
fuisse. Quid autem hoc ad vnitatem essentiæ? Hîc ali-
quid dicendum est de sententia quorundam theologo-
rum, qui de verbis Nicænæ synodi disputantes, aiunt
similitudinem patris, & filii non excludere vnitatem
essentię eorum. Nam, si ex essentia patris filius est (quod
synodum Nicænam affirmare supra ostendimus) neq;
tamen vt pars aliqua, neque vt ἀποῤῥοια, tum enim mu-
tatio caderet

tatio caderet in patrem: sequitur omnino, totam substantiam patris in se filium habere, ex qua esse dicitur hypostaseos ratione. Et in rebus quidem creatis filius, ex substantia patris existens, non eam in se habet integram, sed aliquid eius. Ex semine enim patris manat substantia filii. In diuinis autem filius ex substantia patris existens, integram eius substãtiam in se habet, cùm simplex & indiuidua sit: & eandem numero, cùm multiplicari Dei substantia non possit. nisi volumus plures deos asserere. Huius sententiæ citantur authores Athanasius, Theodoretus, Augustinus, Hilarius. Etsi autem hæc concinnè dicta sunt: Tamen, si verba vrgemus synodi, omnino de similitudine loquuntur, non de vnitate essentiæ. Alexander autem, cùm dicit, filium mediæ naturæ esse inter ingenitum patrem, & inter res creatas omnes, an non vnitatem substantiæ tollit? Ineptum est, sensu verborum alicuius inuestigando, te ratiocinationes tuas contra mentem illius afferre. Quæritur hîc de sensu verborum Nicænæ synodi. qui non ex voce Consubstantialitatis eliciendus est: nec ex ratiocinatione tua aliunde collecta asserendus: sed ex interpretatione vocis Consubstantialitatis mox ab Imperatore, & synodo apposita. Cæterùm, quæ vis sit ratiocinationis theologorum, quam recitauimus, expensum à nobis est in prima sylua; & quantùm valeat, ibidem ostensum. De authoribus, quos pro se citant theologi, haud scio, quid dicam. Augustinus & Hilarius recentiores sunt; & multis post concilium Nicænum

seculis

* Annis fortaſse voluit auctor ſcribere. Quanquã de Hilario, qui ſynodi Nicænæ tempore, ni fallimur, iam natus & adultus erat, ne id quidem dici potuit.

* ſeculis' vixerunt. Theodoretũ aliu d dicere in ſuis dialogis, quàm in hiſtoria temporum illorum ſcripſerit, mirum eſt. Athanaſius quod ſcripſit, vel temporibus Nicæni concilii ignotum fuerat: vel non eius erat authoritatis, vt aliis probaretur, qui tempore illo vixerunt. Certè ſi quid tunc valuiſſet, pedibus in eius ſententiam diſceſsiſſent ſynodi illæ poſt Nicænam diuerſis in locis habitæ. Quod tamen tantùm abeſt vt fecerint, vt ne mentionem quidem vllam vel ſententiæ eius, vel nominis factam eſſe, oſtendi * poteſt'. quam veriſimile eſt non prætermiſſuras fuiſſe, ſi vel nota fuiſſet, vel authoritatem aliquam * obtineret'. Cur igitur nunc maior illius authoritas eſſe debeat, quàm tunc fuerit, cauſa nulla eſt. Eſt autem accurata conſideratione dignum, quæ res mouerit Nicænam ſynodum ad eius conſubſtantialitatis, quam diximus, confirmationem. Nam & Conſtantinus concordiæ ac pacis eccleſiarũ cupidiſsimus, & reliqui patres Nicæni cùm tranquillitatis cauſa, tum priſcorum doctorum, qui vocem Homouſii in tractatione deitatis patris & filii vſurpaſſent, reſpectu, hanc ipſam vocem retinendam eſſe, cenſuiſſe, ſupra oſtendimus: interpretationemque addidiſſe, qua ſimilitudo filii cum creaturis excluderetur: cum ipſo autem patre indicaretur, & confirmaretur. Iam quanta de Homouſio contentio, iam inde poſt tempora apoſtolorum, fuerit, facilè vident, qui hiſtorias temporum illorum euoluunt. Ante Nicænum concilium (quod anno Chriſti 333. celebratum eſſe fertur) annos circiter

* Pro poſsit.

* Pro obtinuiſſet.

circiter 130, fuisse episcopos, qui eos, qui, filium Dei esse creaturam, & patri minime consubstantialem, asserent, reprehenderint, author est Nicephorus. Quod argumento est, iam tum quæstionem de coëssentialitate filii agitatam fuisse. In ipsa synodo Nicæna, coëssentialitatem ad similitudinem relatam esse, iam ostendimus. Post eam autē synodum quot inter orientales, & occidentales ecclesias contentiones de illa fuere? quot etiam inter vnius & eiusdem prouinciæ episcopos? Immo & inter eos, qui priuati essent, quot certamina excitata? Episcopi, inquit Sozomenes, temporis illius (erat autem tempus illud viuo adhuc & imperante Constantino) inter se dissidebant, nomen Homousii accuratè examinantes. Et Ariani quidem Homousianos blasphemiæ accusare: quasi filium extra substantiam esse sentirent. Contrà Homousiani Arianos, vt Ethnicos, auersari, tanquam suspicionem plurium deorum inducentes. Ad hæc orientales nomen essentiæ omittere: illosque tantùm, qui filium Dei ex non existentibus, aut ex alia, quàm Dei, substantia fuisse, affirmarent, execrari. Contrà occidentales eiusmodi orientalium decreta reiicere: solisq; Nicænæ synodi decretis standum esse, contendere. Quamobrem synodus tandem Sardicæ coacta Homousii vocem omittere: illosque tantum excommunicare, qui vel tres deos, vel Christum non deum, vel patrem, filium, & spiritum sanctum vnum & eundem, vel filium ingenitum dicerent. Ad eundem modum & in formula Sirmii compo-

Nic. lib. 8. cap. 22.

" *Soz. lib. 2. cap. 18.*

" *Sozom. lib. 3. cap. 11.*

Soc. lib. 2. c. 37. Theodo. lib. 2. cap. 21.

sita, & Arimini,* præsente Constantio imperatore, recitata, nomen οὐσίας, propterea quòd à Patribus simpliciùs positum, * & populis incognitum, offendiculum pareret, amputandum, eiusq; mentionem nullam deinceps fieri debere, censebant; cùm quidem diuinæ literæ nomen οὐσίας nusquam filio, nusquam spiritui sancto tribuant, similem autem per omnia patri filium doceant. Etsi autem multi episcoporum huiusmodi decretis interceserunt: idque missis literis cum legatione ad Constantium testati sunt: Tamen & in synodis sequentibus id confirmatum est. In synodo Seleuciana episcopi in duas partes scissi fuere. alteri parti Acacius Cæsareæ Palestinæ episcopus cum quibusdam aliis, alteri Georgius Laodiceę Syrię episcopus cum aliis quoque nonnullis præerant. Acaciani dictandam omnino aliam fidei formulam contendebant, præter illam Nicænam. Georgiani omnia quidem fidei Nicænæ recipienda esse censebant; sed tamen vocem Homousii solam reprehendebant. Præter hos Syluanus Tharsensis episcopus, Antiochensem formulam retinendam aiebat. quæ & ipsa, audientibus reliquis, præter Acacianos (qui ex synodo discesserant) recitata fuerat. Sed Acaciani altero die, multa præfati de dissensionibus præsentis synodi, recitarunt tandem formulam fidei, in qua voces Homousion, & Homœusion, tanquam à scripturis alienas reiiciẽdas, & Anomœon anathemate damnandum, ac quotquot taliter sentirent alienos esse ab Ecclesia iudicandos: similem (ὅμοιον) autem patri filium manifestè

De Ariminensi synodo Theod. lib. 2. cap. 18. & 19. 21.

* Atqui non adfuit in Arimensi synodo Constantius Imperator.

* Subaudi esset.

Socr. lib. 2. cap. 19.

Soc. lib. 2. cap 40.

manifestè confitendum, censebant: secundum apostolum de illo sic dicentem· Qui est imago Dei inuisibilis. « Col. 1.
Ac de similitudine illa disputantes, Acaciani quidem « ad voluntatem, alii autem etiam ad essentiam, illam referebant. Etsi autem multa contra hæc Acaciana ab aliis patribus in ipsa synodo dicta fuere: Acacio quidem contradicente, sententiam Nicænam non semel iam mutatam esse: itaque nihil* referre', quominus alia fides dictetur: Tamen Acaciana illa, quæ eadem cum Sirmiana erat, postea in synodo Constantinopolitana repetita & confirmata est. Inter cætera autem filius dicitur esse similis patri, qui eum genuerit. Additur etiam, quod supra ex Sirmiensi synodo ostendimus, de nomine Essentiæ amputando. Vltra id hoc quoque appositum, nec essentiam, nec hypostasim dicendam esse de Deo. Huic, Socrates inquit, & Vphilas « Gothorum episcopus tum primùm consensit. Antea « siquidem Nicænam fidem tenuerat sequutus Theophilum. qui, cùm Gothorum esset episcopus, Nicænæ fidei « præsens subscripserat. Sic ille. Enumerat autem Socrates expositiones fidei post Nicænam synodum diuersis in synodis factas nouem. Quarum nulla erat, in qua mentio facta non esset vocis ὁσίας. quam Constantinopolitana omnium postrema tolli & amputari censuit. Quid igitur miri, & hodie de hac consubstantialitate controuersias oriri: cùm mox à temporibus Nicænæ synodi tot & tantæ exortæ * fuere? aliis scilicet vocem Homousii aliter, quàm à synodo accepta esset, interpre

* Pro impedire.

Soc. lib. 2. ca. 41. Nic. lib. 9. c. 44.

Soc. lib. 2. ca. 41.

* Pro fuerint.

tantibus; aliis eam, tanquam contentiones parientem, tolli contendentibus; aliis à fide Nicæna palàm discedentibus, Constantinopolitana recepta. Quæ causa tan
Soc. lib. 2. ca. 40. tæ inconstantiæ? Hanc autem Socrates, multis fidei expositionibus recitatis, aperit, interfando hisce verbis: „ Ego verò dico, quòd, si ab initio talia de Nicæna „ fide cum præcedentes, tum sequentes sensissent: cessasset omnis contentiosa inquisitio; nec obtinuisset in„ considerata ista ecclesiarum perturbatio. Verùm, quo„ modo comparata sint ista, iudicent ii, qui intelligentia „ valent. Non obscurè significat Socrates, multos non rectè de fide Nicææ recitata sensisse: hancque causam
* Pro sequuta fuisse acerrimorum, quæ * sequutæ erant, certaminum, variarum disputationum, abrogationum, & nouorum decretorum. Verùm, vt Socrates fecit, ita & nos hæc hominibus doctis & historiarum peritis relinquamus. Fieri autem potest, vt in inquisitione hac, quemadmodum & in rebus aliis, falsi simus. Verùm, quid obest aliis præberi occasionem hæc accuratiùs scisitandi?

CAPVT II.

Notantur quædam, & explicantur in prima sylua vel parum explicata, vel omnino prætermissa.

Hæc de Homousio. Nunc quædam notanda sunt, aut etiam explicanda, quæ priùs à nobis obscuriùs scripta sunt.

I.

Non nouum est, nec inauditum, distinctiones vsurpari ad elucidanda ea loca, quę in speciem dissidere videntur;

dentur; modò distinctiones illæ fundamenta habeant in scripturis. Verbum Dei est· Soli sapienti Deo honor,& gloria.Sed non minùs & illud· Omni operanti bonum honor,gloria,& pax. Quis hîc non videt,gloriæ distinctione opus esse? Certè gloriam suam Deus alteri non est daturus. id enim affirmat Deus ipse,Esaia referente. Igitur gloria, quæ datur operantibus bonum, alia sit oportet,quàm quæ debetur soli Deo. Sic Dei verbum est· Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Nihilominus & Lot angelos duos, & Iosue vnum;ad hæc Abraham, Iacob,& alii viri sancti, homines mortales adorasse dicuntur. Non'ne & hîc distinctio adhibenda est adorationis? Omnino, si sancti illi idololatria vacare dicendi sunt, aliud genus adorationis tribui creaturis necesse est, quàm creatori. Neque hoc voce adorandi secernendum est, sed rebus ipsis. Deo enim adorationem tribuimus,cùm vt conditorem mundi, gubernatorem, conseruatorem, redemptorem agnoscimus, & confitemur. Hominibus autem non alia adoratio tribuitur, quàm gratiarum actionis, vel gratitudinis exhibendæ, cum gestu corporis decoro. Itaque pro eo,quod de Loto scribitur,eum sur rexisse, & angelis obuiam iuisse, adorasseque pronum in terram: hoc Santes Pagninus sic vertit· Videns Lot angelos,surrexit in occursum eorum; incuruauitq; sese in faciem super terram. Sexcenta sunt eiusmodi in sacris bibliis,quę explicari non possunt,nisi distinctione adhibita. Dicamus de fide tum ipsi Deo habenda,

« 1. Tim. 1.
« Rom. 2.
« Esa. 42.
« Deut. 6.
« Matth. 4.
Gen. 19.
Ios. 5.
Gen. 23, & 33.
Gen. 19.
« « « « « «

tum etiam Iesu Christo filio ipsius. Christus ipse sic e-
Ioan 14. „ nuntiat, Creditis in Deum; & in me credite. Cur au-
Ioan. 6. „ tem? Ipse Christus sic aperit, Hæc est voluntas patris,
„ qui misit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in e-
„ um, habeat vitam æternam. Igitur nemo peruenit in
vitam æternam, nisi filio Dei credat. Quæ causa? Quia
hæc est voluntas patris. Non igitur identitas cum Deo
causa est huius fidei: sed mandatum patris æterni. Sicut
igitur credimus in Christum mandato patris: ita eun-
dem & adoramus, & inuocamus, quòd hæc sit volun-
Ioan. 5. „ tas patris. Sic enim narrat Christus, Pater non iudicat
„ quenquam; sed omne iudicium dedit filio, vt omnes
„ honorent filium, sicut honorant patrem. Qui non ho-
„ norat filium, non honorat patrem, qui misit ipsum. Vo-
luntate igitur patris honoratur filius. Nam & iudicium
Phil. 2. ei dedit omne: & donauit ei nomen, quod est omnium
nominum summum. Iam de fide sibi habenda sic am-
Ioan. 12. „ pliùs loquitur Christus, Qui in me credit, non in me
„ credit, sed in eum qui misit me. Sic & alibi loquitur,
Matth. 10. „ Qui me recipit, recipit eum, qui misit me. Et de do-
Ioan. 7. „ ctrina sua sic, Mea doctrina non est mea, sed eius, qui
Ioan. 14. „ misit me: Et, Sermo, quem auditis non est meus, sed pa-
„ tris, qui misit me. Apertè autem distinguit se missum à
patre mittente. suaque omnia dicta, factaq; ad patrem,
tanquam authorem, dirigit. Quæ etsi obiecta duo sunt:
Tamen, quia fides, vtrumque respiciens, vno vt media-
tore vtitur, alterum vt finem constituit, pro vna fide
Exo. 14. censenda est. Narrat Moses, Israël. tas ab iniuria Aegy-
ptiorum

ptiorum seruatos esse, cùm Iouæ, & seruo ipsius Mosi fidem haberent. Paulus gratias egit Deo, cùm audiret, Philemonem charitatem, & fidem habere erga dominum Iesum, & in omnes sanctos. Nunquid eiusmodi fides diuersę fuere? Minimè. Non enim Moses, aut alii sancti abducebant populum à Deo. Sed omnis eorum sermo est de beneficiis, de resipiscentia à peccatis, de fuga idolorum, de conuersione ad Deum. Ad hunc modum & Christus se viam dicit esse, qua eatur ad patrem: se omnia dicere, ac facere ad patris præscriptũ. Ego sum, " Ioan. 14.
inquit ipse, via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem, "
nisi per me. Et alio in loco, Ego ex me ipso non sum lo- " Ioan. 12.
quutus. sed qui misit me pater, ipse mandatum mihi de- "
dit, quid dicam, & quid loquar. Vix est aliquod ver- "
bum Christi de patre, quo non ostendat patrem tan- "
quam legantem, se tanquam legatum. Itaq; dicit, Scio, "
quia mandatum patris vita æterna est. Quæ ego lo- "
quor, sicut dixit mihi pater, ita loquor. Non ergo alienum est à sanctis scripturis, nec à mente eorum abhorrens, cum dicimus, Patri, vt præcipuo authori bonorum omnium, fidem habendam esse: filio ipsius, vt dispensatori eorundem bonorum. Non hîc est locus illis diuerticulis, cum aiunt, Dei vocem aliàs tres personas significare, cum ponitur absolutè: aliàs ad vnam personam referri. Nam Christus disertè loquitur de patre. Qui misit me pater. Sicut dixit mihi pater. Patrem igi- "
tur mittentem, filium missum intelligi oportet: illum
iubentem, hunc iussa exequentem: illum mandata dan-
tem,

tem, hunc eadem & exponentem mortalibus, & exhau-
„ rientem. Non ex me ipso, inquit, loquor. sed sicut dixit
„ mihi pater, sic loquor. Præscripsit itaque pater filio &
dicenda, & facienda omnia. Filius, ad præscriptum pa-
tris faciens omnia, legatū se illius ostēdit, & profitetur.

2.

Est & illud discutiendum, quod aiunt, Christo se-
cundum humanitatem multa tribui, quæ non compe-
tant illi secundum diuinitatem. Cùm enim Christus sit
indiuiduum bina constans natura, vna autem persona
& ea quidem diuina, quomodo alterutri naturæ tribui
possit actio aliqua, quin ad eiusdem actionis commu-
nionem persona diuina concurat? cum quidem natura
agere nihil possit nisi suppositata seu indiuiduata. Cla-
rè autem asseritur à theologis, humanam naturā à ver-
bo assumptam nunquam habuisse propriam personā-
litatem: sed ab ipso momento conceptionis à verbo
sustentatam esse.

3.

Argumentum 19, & 32. in prima sylua videor mihi
fideliter proposuisse: si non iisdem verbis, quibus pro-
ponunt, qui eo vtuntur: sententia tamen rectè expressa,
& ad intelligentiam non ineptè. Sed quidam putat, ma-
lè à me propositum esse. Itaque recitat argumentum
aduersæ partis ad verbum; simulq; sic formandum pro-
„ ponit: Deus, qui Psalmo 102 cœlum, & terram funda-
„ se scribitur, est vnicus deus Israëlis. Sed ad Hebræos 1.
„ capite traditur, Christum esse illum deum, de quo in
psalmis

psalmis scriptum est, quòd cœlum, & terram fundauerit. Ergo Christus est vnicus deus Israëlis. Hoc argumento certè nõ in secunda figura aliquid affirmamus; sed argumentum secundum Dialecticorum leges ritè conficimus. Sic ille. Quis autem non videt, locis, qui citantur, omissis, hanc vim esse huius argumenti? Conditor cœli, & terrę est Deus. Christus est conditor cœli, & terræ. Ergo Christus est Deus. Maior confirmatur verbis psalmi 102. Minor habetur Heb. 1. Tu dicis, falli nos, quòd statuam⁹, vnius dei nomine aut dei nomine absolutè posito, patrem solum intelligẽdum esse, Ideo argumenta tua, & tuorum sic nos proposuisse. Pater creauit cœlum, & terram. Filius creauit cœlum, & terram. Ideo sunt vnus deus. Vtinam verò, sepositis præiudicatis opinionibus, studeamus omnia ad amussim illam examinare, quam vnicè laudant Academiæ omnes. Qua quidem prætermissa, an vnquam veritas à nobis clarè perspicietur? Sed tamen obtemperemus tibi; ac pro dei nomine absolutè posito vsurpemus id, quod per illud vis intelligi: ac argumentum sic formemus, Conditor cœli, & terræ est Trinitas. Filius est conditor cœli, & terræ. Quid inde concludi licet, nisi, filium esse Trinitatem? Quid absurdius? Nam si concludas, filium cum patre vnum esse deum, conclusio à præmissis longè euagabitur. nisi fortè argumentum ita formandum est. Conditor cœli, & terræ est Trinitas. Sed in hac Trinitate numeratur pater, filius, & spiritus sanctus. Ergo pater, filius, & spiritus sanctus sunt con-

ditor cœli,& terræ; et per consequens sunt vnius essentiæ. In eiusmodi forma quàm multa desiderentur, nemo non videt. Certè hîc multa sumuntur, quæ in quæstione discussioneque ponuntur. Et quidem, quod de creatione dici posit, in prima sylua, obiectione 19. dictum est. Sed tu dicis, hoc esse in quæstione, an, dei nomine absolute posito, pater solus sit intelligendus. Respondeo, nos, recitanda Pinzouiorum sententia, clarè dixisse, patrem,& filium, vt personis, ita essentia distinctos esse. Itaque argumenta huc dirigenda erant. Nomine enim Trinitatis posito, quot ambigua existunt? Sed hæc iudicent alii. Sed tu deinceps sic agere instituis. Etiam, inquis, si eo modo, quo aduersarius proponit, ratiocinati essemus, ex iisdem attributis patris, & filii vnam essentiam concludendo, * rationem nostram non esse reiiciendam'. Hoc tu similitudine rerum naturalium explicas, in quibus nihil naturæ vniuersali competit, quod proprie vni indiuiduo ita accommodandum sit, vt non omnibus aliis sub illa natura vniuersali cõprehensis. Ita in sacris litteris, quicquid de Deo seu natura diuina dicitur, id non tantùm patri, sed & filio, propter communem naturam, tribuendum est. Tu verò non vides, te laborare eodem vitio, cuius me arguisti. Petis certè principium more sophistarum, cùm dicis, patris,& filii vnam naturam esse & deitatẽ. Pergis deinde de non causis, vt causis, vsurpatis agere. ac ea, quæ in prima sylua argumento 32. tractaui, exagitas. quæ nos quidem in præsenti omittamus. Qui vult, conferat

* Pro ratio nostra non esset reiicienda.

ferat noſtra ſcripta cum contrariis; & iudicet.

4.

Aliqui, loca ſcripturarum pro ſynonymia Dei, & Patris adducta eludere conantes, hoc, quod vident apoſtolos dei nomen cum patris nomine, vel alterum pro altero ponere, non ad ſynonymian volunt referri: ſed hoc tribui patri, vt in eius perſona deitas conſtituatur in perſonarum collatione, originis ratione, & ordinis perſonarum. Verùm hæc ſine ſcripturis dicuntur; nec vlla ratione fulciuntur. Quid enim ei facias, qui ſynonymiam dicat indicari in illa Dei, & Patris coniunctione toties in ſcripturis repetita?

5.

Non magis & illud quadrat ad præſentem diſputationem, cùm dicunt, nomen dei aliàs abſolutè, aliàs relatiuè vſurpari. Quod etſi verum eſſet, quid tamen hoc valet ad conſubſtantialitatem filii cum patre? Certè Chriſtus, vbi ſe adiungit patri, illum Patris, Dei ue nomine appellat: ſe autem Filii, aut Legati patris. Pater etiam quoties loquitur de filio, illum aliàs filium, aliàs ſeruum, aut conſimili nomine vocat. Pro conſubſtantialitate autem quicquid dicitur, ratiocinatione magis, quàm ſolidis ſcripturis colligitur. Omnino quiſq; pro ſe animum intendere deberet ad diſcutienda argumenta in vtranque partem: & ad liberè pronuntiandum, vtra alteris præferenda ſint. Qui, dei nomine abſolutè poſito, intelligi volunt, patrem, filium, & ſpiritum ſanctum: hi etiam Patris nomen non ſemper perſonaliter,

sonaliter, sed quandoque essentialiter pro Deo, seu essentia patris cum filio, & spiritu sancto, accipiunt. Itaque in precationis formula à Christo tradita Patris appellatione totam Trinitatem intelligunt. Hoc si non est confusio, quid confusio sit, non intelligo. Cùm autem istis obiicitur, filium precari patrem, non contrà. Respondent, hoc ideo fieri, quia pater omnium consiliorum, & operum diuinorum est fons. Ohe. Quid si ego addam, ex eorum sententia, quos in prima sylua citaui, filium omnia à patre habere, & esse personæ, & esse dei? quid inde concludendum erit, quisq; iudicet.

6.

Nonnulli officii mediatoris obtentu, expedire multa conantur, quę consubstantialitati trium minimè obesse existiment. Verùm, hoc officio sepositò, vnde demonstrabitur illa? Vix est in scripturis aliquod verbum de filio, quod non ad mediationem referatur. Et qui filium munere mediatoris aiunt functum ante carnem assumptam, idque secundum naturam diuinam (nam tunc eam solam habuit) vix proferre aliquid possunt, quod consubstantialitatem adiuuet.

7.

Illa perfugia de personę, & naturæ distinctione, quibus non tantùm sophistę in scholis, sed & theologi tum veteres tum noui vtuntur in Ecclesia, haud scio, an non consentaneè scripturis, quid valeant, in prima sylua ostendimus. Quod simplicissimum est, nullam admittit compositionem: præsertim talem, cuius altera pars originem

ginem aliquã habeat, altera sit omnis originis expers. Hoc enim affirmatur à magistris theologię, filium, quà deus, nullam habere originem: quà autem persona ab aliis distincta, originem habere à patre. Ad vitandas autem absurditates, quę ex identitate reali naturæ cum persona oriuntur, comminiscuntur distinctiones rationis, & formales. Cùm autem vtraque hæc à ratione fabricata sit, permirum est, quomodo attributa, quæ realia sunt, aut certè alterum eorum reale, consistent sine implicatione contradictionis.

8.

Sumpta sunt hæc magnã partem à theologis è schola; à quibus quæstiones agitantur de distinctione personarum tum ab essentia, tum ipsarum inter ipsas. *Quæstionarij Senten. 1. d. 2.*

Distinctionem earum ab essentia alii formalem constituunt, alii ex natura rei, nonnulli rationis. Sunt, qui putent, dicendum potiùs, non esse idem personas cum essentia, quàm vt distinctionem aliquam admittant.

De personis quærunt, qua re & constituantur in esse personali, & inter se distinguantur. Aliqui id nulli rei à personis distinctæ, sed ipsismet personis tribuunt. Se ipsis, inquiunt, personæ, & nullo alio quomodocunque à personis distincto, distinguuntur. Alii proprietatibus absolutis vtrumque munus & constituendi, & distinguendi personas assignant. In quam sententiam Scotus inclinat. Et certè, tanquam magis verisimilem, amplecteretur, nisi authoritate Ecclesiæ ad eam opinionem duceretur, quæ theologis magni nominis magis *Quæstionarij Sent. 1. d. 26.*

probatur, relationibus originis & constitui, & distingui personas diuinas. Quis autem deorum, mysteria hæc enunciauit orbi exprompta ex sinu patris æterni? Quis vatum prænunciauit? Quis apostolorum docuit? Quis discipulorum didicit, vt posteritati omnium seculorum proderet ad memoriã sempiternam? Non'ne hæc sunt, tanquam illi bacilli, quibus ædificium ruinosum & malè materiatum à casu subleuetur? Quibus confractis, quid ædificio tandem fiet? Scotus in opinionibus diuersis recitandis, confirmandis, & refutandis est multus. Cùmque multa præter scripturas partim neget, partim affirmet, inter cætera scribit, tenendum esse pro vero, quicquid tradidit authoritas: non tamen esse negandum, quicquid ipsa non tradidit: Secretarium Christi Ioannem dicere, multa Christum opera, & signa feciſſe, quæ non sint scripta: nec mundum capere posse libros, qui scribendi essent. Itaque non omnia neganda esse, quæ scripta non * essent; quòd locus ab authoritate negatiuè non valeat. Hæc Scotus. Nobis verò religio sit affirmare, negare ue aliquid, præter scripturas. Sunt oracula diuina, nihil nec addendũ, nec minuendum esse de iis, quæ scripta sint. Præter ea autem, quæcumq; dicuntur, sint nobis Apinę tricæque, & si quid vilius istis. Notæ autem sunt comminationes in eos, qui vel addunt aliquid, vel detrahunt. Cur igitur non contenti sumus scripturis sanctis testimonia de vno vero deo, deque filio ipsius, & spiritum sancto proferentibus? Quid enim in illis est de constitutiuis, & distin-

Scotus sen. 1. d. 26. q. vnica cõtra opinionem 3. argum. 3. § Nunc autem licèt tenendum sit.

Ioan. 20. & 21.

* Pro sint.

Deut. 4, & 12.

& distinctiuis personarũ? quid de vnitate essentiæ triũ?

9.

Haud scio, an non maximè impugnetur vnitas ista trium*, incarnatione vnius earum sine reliquis duabus. Qui eam propugnant, afferunt * similitudines, alteram à lumine & calore vni subiecto inhærentib. sumptam, quorum illud oculis cernitur, hic minimè, alteram à facultatibus vegetandi, sentiendique, atque etiam intelligendi animæ humanæ adiunctis deductam, quarum illis corpus informetur, hac minimè. His, inquam, similitudinibus confirmatur vnitas essentiæ trium personarum, non obstante, quòd vna earum incarnetur, aliæ non. Verùm nescio, quomodo animus conquiescere non potest in his ipsis, quamuis concinnè excogitatis. Quid enim facias proponẽti ad hunc modum? Essentia filii incarnatur. Essentia patris nõ incarnatur. Igitur essentia patris, non est esentia filii. Hoc enim à propugnatoribus vnius esentiæ affirmatur his verbis. Docemus, diuinam naturam carnem assumpsisse, seu Deum manifestatum esse in carne: sed tantùm in vna, nempe filii, non autem patris, & spiritus sancti persona. Hinc ex vnitate naturæ non concluditur, patrem, & spiritum sanctum esse incarnatos, qui à filii persona reuera distincti sunt. Sed hoc duntaxat sequitur, illam essentiam, quæ patris est, & spiritus sancti esse incarnatam. quod nos fatemur. Sed id in filii solius persona factum est. Cùm Deus incarnat⁹ dicitur, nomen Dei non absolutè ponitur; sed, propter adiunctum, ad certam personam

* *Subaudi* per sonarum.

* *Desideratur*, duas.

„ persónam refertur: Quare non conficitur hinc, omnem
„ persónam, quę deus est, incarnatam esse. Et paulò pòst·
„ Deus seu diuinitas non in vna eademque persóna in-
„ carnata, & non incarnata dicitur: sed in distinctis perso-
„ nis. In filii persóna carnem assumpsit. Hæc ille. Sic igi-
tur formemus argumentum. Deitas, vt est in filio, as-
sumpsit carnem. Deitas, vt est in patre, non assumpsit
carnem. Igitur deitas, vt est in patre, non est deitas, vt
est in filio. Vel sic formemus. Deitas in filii persóna as-
sumpsit carnem. Deitas in patris persóna non assumpsit
carnem. Igitur deitas in patris persóna, non est deitas in
filii persóna. Sunt igitur deitates istæ diuersæ. aut cer-
tè modi essendi earum, in persónis diuersis, diuersi sunt.
Videor alicui pueriliter proponere ista. Quasi verò nō
à magistris didicerimus, si tamen didicimus, artem
quam factitamus, ad hunc modum. Certè aut hæc ma-
gistris tuenda est: ad eiusque regulas omnia, quæ in di-
sceptationem veniunt exigenda; aut, si eam abiiciunt,
ne ea quidem aduersus alios vti poterunt.

10.

Ioan. 17. „ Verba Christi sunt ad patrem, Mea omnia tua sunt,
„ & tua, mea. Ex quibus colligunt aliqui, vt filius nihil
habet à se, sed omnia à patre: ita nihil habere patrem à
se, sed à filio. Vnde vnitas essentiæ eorum colligitur.
Sed enim attendendum est, omnia Christum referre ad
patrem tum dicta, tum facta sua: omniaque sibi à patre
data esse, testari: nec vnquam patrem à filio vel discere,
vel accipere quicquam. Quod igitur Christus dicit, sua
omnia

omnia patris esse,& quæ patris sunt,ea sua esse: minimè ad vnitatem essentiæ pertinet: sed ad vnam administrationem patris cum filio, vnamq; quasi rerum omnium possessionem. Itaque dicit sibi omnem potestatem datam esse cœli,& terræ. Non'ne in rebus humanis filius habēs communem hæreditatem & administrationem cum patre viuente dicere potest, omnia sua patris esse: & vicissim patris omnia, sua. Neq; tamen propterea filius se patris beneficio obtinere negaret, quicquid possideret. Huc referendum est, quod ipse Christus dicit,Nihil posse filium ex se ipso facere, nisi quod faci entem patrem viderit. Quæris tu, quomodo filius videt patrem facientem,& sic ipse facit.an ita,vt qui literis pingendis necesse habet exemplar aliquod intueri, vt inde pingere discat? Respondeo,Christi verba inspicienda esse sic ab ipso ad Iudæos prolata· Ego, quod vidi apud Patrem meum,loquor. Et vos, quod vidistis apud patrem vestrum (quem paulò pòst vocat Diabolum) facitis. An verò Iudæi viderunt Diabolum aliquid eorum facientem,quæ fecerunt ipsi? Non opinor. Sed, cum desideriis Diaboli obsequerentur, opera illius facere dicebantur. Itaque Christus ad eos, Vos, inquit, ex patre Diabolo estis. & desideriis patris vestri vultis obsequi. Morum enim, & actionum similitudo ostendit,aliquem germanum esse filium sui patris. Contrà degeneres filios arguit dissimilitudo morum, & operum. Ad eundem modum Christus dicitur facere, quæ patrem vidit facientem: quia nihil dicit, nihilque

Matth. 28.

Ioan. 5.

Ioan. 8.

facit,nisi, quod scit ipsum patrem velle. Nihil igitur refert,seu hæc de imitatione intelligantur,seu de præscri
Ioan. 5. » ptione faciendi. Nam Christus subdit· Pater amat fi-
» lium : eique ostendit omnia, quæ facit ipse. Et, Ex me
Ioan. 8. » ipso facio nihil: sed ita,vt docuit me pater,hæc loquor,
» & quæ placita sunt ei, hæc facio semper. Igitur omnia & dicit,& facit filius patris mandato,& præscriptione: & non idemtitate essentię. Quod & de vita sic testatur,
Ioan. 5. Vt pater habet vitam in se ipso, ita filio dedit habere vitam in se ipso. Attribuit sibi vitam, sicut & patri. Verumtamē, sibi eam à patre datam, affirmat. Atqui pater nequaquam diceret,se à filio vitam habere. Quod quidem in vnitate essentiæ fortè illi dicendum foret.

II.

Qui ex vnitate baptismi colligunt vnitatem essentiæ trium personarum, parum respicere videntur ad Christi baptismum : in quo tantùm abest, vt vna essentia trium appareat, vt maxima eorū separatio toti mundo conspicienda proponatur. Pater loquens de cœlo voce se manifestauit. Filius in Iordane tingebatur. Spiritus sanctus specie columbina conspectus est. Quid hoc ad vnitatem essentiæ ? Quæ hîc significatio vnitatis? quæ repræsentatio ? Immo, quæ eius similitudo ? Certè Christi baptismus est exemplum nostri : & quasi fons, ex quo noster efficaciā haurit, & sanctitatem. An igitur in nostro maior trium illorum vnitas requirenda est, quàm in illo,à quo noster sumit robur, & vigorem? Vnde verò ea demonstranda est ? Ex vnitate effectus, seu

ctus, seu operationis? Atqui causæ possunt esse plures effectus vnius, aut operationis. vt, cùm à multis trahitur nauis vna. An verò, quia Paulus quadam analogia coniungit fidei vnitatem, baptismi vnitatem, dei vnitatem? Esto. Sed non minùs & vnitatem corporis, & vnitatem spiritus. Vnum, inquit, corpus, vnus spiritus, vnus dominus, vna fides, vnus baptismus, vnus deus & pater omnium. Et alibi, Vnus panis, inquit, vnum corpus multi sumus. An verò propterea vna est essentia corporis omnium nostrum? Quid, quòd Paulus, cùm dixit, Vnus deus, mox addidit, Et pater omnium? vt de patre hîc solo loqui videatur. At baptismus noster fit in nomen patris, & filii, & spiritus sancti: hoc est in potestatem, & authoritatem illorum. Fateor. Sed enim ea potestas ab illo est, à quo est & vita. Christus dicit, datam sibi potestatem omnem in cœlo, & in terra. Dicit etiam, se missurum spiritum à patre. Qui spiritus non à se loquuturus esset: sed, quæ audiuisset ab ipso, ea annunciaturus esset apostolis. Vna est igitur potestas horum trium: sed à patre communicata tum filio, qui ab illo habeat & vitam, tum etiam spiritui sancto, qui ab illo procedat. Tu dicis, etiam si vnitas naturę ex eadem operatione non sequeretur, æqualitatem tamen consequi debere. Quæ cùm in quantitate, aut qualitate consistere non possit, quod his locus non sit * Deo: in substantia eam omnino spectandam esse; æqualitatem autem in substantia, idemtitatem esse. Audio. An verò æqualitas, quæ est inter angelos, est idemtitas? Vna igi-

" Eph. 4.
" 1. Cor. 10.
Matth. 28.
Ioan. 15.
Ioan. 16.
* Desideratur in.

tur ſubſtantia erit angelorum, qui æquales ſunt virtute, aliis'ue rebus. O noſtra ratio. Quò tandem nos abripis? Falſum iam ſit neceſſe eſt, quod de millibus multis angelorum dicitur, Deo miniſtrantium. Angelorum enim, eorum, inquam, qui vnius ſint ſpeciei, æqualitatem eſſe aliquam oportet. Quòd ſi æqualitas in ſubſtantia ſit idemtitas, iidem angeli erunt, qui ſint æquales. Mittamus iſta ſophiſmata. Loquamur de baptiſmo, vti decet Chriſtianos. Quem cùm in locum circumciſionis veterum ſucceſsiſse: eam autem aliam externam carnis eſse, aliam internam ſpiritus, ſacræ literæ teſtentur: non'ne Paulus de interno eodemq; ſpirituali baptiſmo, hoc eſt de regeneratione, & renouatione loquens, Deum affirmat authorem ſalutis noſtræ: quam ipſe operetur per Ieſum Chriſtum lauacro ſpiritus ſancti? Verba
Tit. 3. „ Pauli ſunt hæc: Seruauit nos Deus lauacro renaſcenti-
„ æ, renouationisque ſpiritus ſancti: quo nos largè per-
„ fudit per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum. Seruat nos igitur Deus lauacro renaſcentię. Perfundit nos ſpi-
Eſa. 44. „ ritu ſancto. Dicit enim alibi ipſe Deus: Effundam
„ ſpiritum meum ſuper ſemen tuum: & benedictionem
„ ſuper germina tua. Hæc autem facit per Ieſum Chriſtum, quem dedit mediatorem, & propitiatorem pro peccatis noſtris. Hæc mihi videtur eſse germana ſententia verborum Chriſti iubentis, baptiſmum fieri in nomen patris, & filii, & ſpiritus ſancti; non propter vnitatem eſsentiæ trium: ſed quia Deus nos ſeruans, id facit per filium ſuum lauacro renaſcentiæ ſpiritus ſancti. Qui

cti. Qui ex æqualitate similitudine ue substantiarum, idemtitatem earum colligunt, quo argumento nitantur, non video. Profectò, si qua est æqualitas filii cum patre, eam filium patri acceptam referre, alibi ostendimus. De similitudine autem ait apostolus Hebr. 1. filium imaginem esse expressam substantiæ patris. Est igitur filius similis patris, quia est eius imago. Hæc testimonia habent verbi Dei. Quis autem vnquam dixit, esse idemtitatem filii cum patre?

12.

Vrgent quidam, pluralitatē deorum vel sibi inuicem subordinatorum, vitari non posse, posita alia patris, alia filii essentia. Si simpliciter vrgent, non vitabitur. Sin ad mentem eorum, qui proprie loquuntur, omnino vitabitur. Non ne Deus astans in synagoga deorum, ipsos iudicat, & ad iustitiam faciendam hortatur: planeque eos deos appellat, & filios Excelsi omnes? Si quęris, alii sunt dii, qui appellantur: alius ille summus, qui sic eos appellat. Neque iste finit illos in numerum suum venire. Itaque ipse dicit, Ego sum deus: & nullus vltra deus; & absque me non est deus. Idem iste deus vocat se Entis nomine· Ego sum, qui sum. Quid igitur, inquies, an res creatæ non sunt? Sunt vtique. Sed si de eo loquendum est, qui est sine omni mutatione, cuius existentiæ nec principium sit nec finis, vnus omnino est, qui est. Quid igitur noui si, qui deum vnum ἀνυπόθετον dicunt, rogati de numero, vnum illum esse affirment: alios, qui ab illo deitatē habent, in hoc numero non collocent?

Psal. 81.

Esa. 4.6.

Exo. 3.

CAPVT III.

Quid piis hominibus, & in primis Principibus, faciendum sit in his discordiis.

HVcusque de Homousio disputauimus. quædam etiam ad ea, quę priùs à nobis scripta sunt, addidimus. Nunc, quid in his concertationibus de doctrina religionis principi Reipublicæ faciendum sit, dicamus. Neque dubitandum est, quin ipsius sit pacem inter partes edicere: ac Ecclesię in suam dignitatem restituendæ curam suscipere, de quo in secunda sylua tractauimus: nec alicui religionis nomine negotium facessere sinere. Conuertat mihi pro se quisque animum ad statum rerum ecclesiasticarum per tempora concilium Nicænum consecuta. Cuius quidem status ecclesiastici potestatem penes Imperatores temporum illorum fuisse, argumento est, quòd per ipsos synodi œcumenicæ indicebantur. Non omnes autem Imperatores illi religionis vnius fuerunt. Aliis placebat fides Nicæna. Alii Arianis placitis addicti fuere. Et illi quidem istos, isti autem illos odio persequebantur. Eusebius Nicomediensis, vestem, quam gestabat, demonstrãs, dixit, Constantino præsente.* Etiam si hæc rupta diuidatur, nunquam eiusdem substantiæ dixerim esse vtramque partem: indicans his verbis, non eiusdem essentiæ esse filium cum patre. Qua blasphemia commotus Imperator, Eusebium exulare iussit. Cõtrà Syluanus, quòd filium, deum de deo, lumen de lumine, & quidem eiusdem naturæ cum genitore, confiteretur, à Constantio ex ecclesia

Sozom. lib. 2. cap. 21.

** Abundat particula etiam.*

Theodoretus lib. 2. cap. 27.

clesia pulsus est: & alius in locum illius surrogatus. Scilicet, vt quisque Imperatorum religioni alicui addictus * fuerat', ita diuersum sentientes malè odibat. Erat non nemo, qui omnibus Christi nomen profesis, seu illi Nicænæ, seu Arianæ fidei essent, impendio infensus esset. Quod quidem * in primis' Iulianum Imperatorem, cognomento apostatam, * præstitisse' constat. Hic, cum idolorum cultor * fuisset', Christianis & militiam, & literarum studia interdixit: ne vel ad imperatoriam dignitatem aspirarent, vel insigniter eruditi defenderent Christianam religionem. Cùmque in ipsius exercitu Valentinianus, & Valens stipendia * meruissent', ambo quidem Christiani, sed hic Arianæ, ille Nicænæ fidei cultor, tanto vterque zelo Christianitatis ducebatur, vt cingula militiæ relinquere maluerint, quàm Christianismum deserere. Verumtamen, cùm Iulianus, eos Reipub. necesarios esse cerneret, non eos à militia remouit. Factumque est deinceps, vt, qui ob Christi nomen militiam deserere parati essent, in locum ei', qui eos remotos volebat, sufficerentur: ac tertio * post Iulianum', loco Imperatores populi Romani declararentur. Præter Imperatores eos, qui Christianis quibuslibet infensi fuisent, erant alii, qui neminem religionis ergô infestabant. Quorum primum fuisse Constantinum illum Magnum existimo: omnibus imperatoriis laudibus cumulatissimum. qui & ipse, primus Imperatorum, fidem Christianam amplexus fuerat: & alios omnes ad eius societatem summa lenitate allicere studebat: non

* Pro erat.

* Immo solum inter omnes.

* Vitiosa tamē præstari non dicuntur.

* Pro esset. Socr. lib. 3. cap. 12. & 13. Idem libr. 4. cap. 1.

* Pro merebant.

* Id est, si à Iuliano numerare incipias.

bat: non crudelitate, aut vllis incommodis. Post hunc sequitur Iouinianus, qui quartus, ni fallor, * post Constantinum imperabat. Hic ab historicis laudatur ob pietatem, prudentiam, liberalitatem, & alias virtutes. Cuius qnidem rebus gestis, ac morte ipsa descripta, sic Socrates inquit: Felices potuissent esse res Romanæ,

» tam publicæ, quàm ecclesiasticæ, tam bonum principem consecutæ, nisi mors subitò irruens talem virum » rebus gerendis abstuliset. Et Iouinianus quidem in eo » singulariter celebratur, quòd cum ipse Catholicus esset, nec sectæ Arianæ aliquo modo affinis, libertatem tamen permisit vnicuique sentiendi de Deo immortali, vt vellet: clarè dictitans, nemini se qualitercunque credenti molestum futurum: eos tamen dilecturum, & præ reliquis honoraturum, qui authores sese præberent vniendæ ecclesiæ. Valentinianus quoque, qui in locum Iouiniani successerat, quamuis fidem Nicænam profitebatur, eosq;, qui suæ religionis consortes erant, tuebatur: tamen Arianis minimè molestus erat. In eundem numerum refertur Theodosius. De quo sic Socra-

» tes. Theodosius neminem religionis causa persecutus » est: nec secum communicare coëgit. sed singulos suis » locis conuenire, & quæ Christianismi essent, sentire, » quemadmodum quisque opinionem de illis concipere poterat, permisit. Et aliis quidem concesit, vt oratoria extra vrbē struerent. Nouatianos verò, tanquam » in fide sua concordes, intra ciuitatum mœnia ecclesias » suas liberè habere iussit. Hæc prodiderunt scriptores

rerum

* Id est, si à Constantino numerare incipias.

Socr. lib. 3. ca. 26.

Soc. lib. 5. cap. 20.

rerum eccleſiaſticarum de Imperatoribus ſanctiſsimis. quorum mentes in Deo colendo purgatiores fuiſſe, quàm huius temporis Principum, veriſimile eſt. Cùm enim penes eos ſumma poteſtas eſset rei & publicæ & eccleſiaſticæ, nec quenquam hominem reſpicerent, cuius gratiam, hac vel illa fide colenda, inire vellent: ſolum Deum in oculis habuiſse putandi ſunt. qui eorum mentes & ad ſui cultum, & ad hanc libertatis vnicuique in Deo colendo permiſsionem impulerit. Non igitur ſententiarum diuerſitas de religione ſummi dei, cauſa eſse poteſt, quamobrem aliquis vel in exilium agatur, vel euertatur fortunis ſuis. Circumfuſi ſumus opinionum varietate tanta tamque multiplici, vt beatus eſse videatur, qui quàm minimo errore implicetur. Difficile ac prorſus impoſsibile eſt, vt quem inuitum trahas ad eam ſententiam, quam tu probes, ille minimè probet. Ad laborem quidem, & functionem corporis inuitum aliquem cogere poſsis. ad ea, quæ mentis ſunt & animi, nulla vi, nullis minis, nullis ſuppliciis quenquam impellere queas. Sunt enim ea, quę à mente proficiſcuntur, voluntaria. nec vlla virtus in coactionis regno veſtigium ponere poteſt. Hæc quidem philoſophica eſſe videntur. ſed enim talia, quæ cum oraculis diuinis congruant. Quorum eſt illud· Voluntarie ſacrificabo tibi. « Pſal. 54.
Et illud· Feſtum agito Domino deo tuo voluntario « Exo. 16.
manus tuæ donario. Quid igitur facit, qui pœnis, aut «
aliquibus incommodis homines ad ſacra ſibi probata, «
illis improbata cogit: nouo quidem & in omni Chri-

Vide authorem lib. 1. de Eccleſia cap. 6.

ſtianitate inaudito exemplo? Principes quidem Cacodæmonum cultores populos ſuo imperio ſubiectos ad ſuam idolomaniam compellebant: nimirum inſtinctu ſpirituum, quibus, tanquam diis, deuoti fuere. vt veriſimile ſit, imitatores eorum à malis ſpiritibus incitari ad vim mentibus hominum incutiendam, non à Deo: qui cultores requirit ſpontis ſuæ, non alienæ: voluntarios, non coactos. Principes autem, qui verè Deum cognoſcebant, ab eiuſmodi coactione ſemper (quod ſciam) erant alieni. Qui igitur homines impellit contra illorum animi ſententiam ad cultum Dei, quid facit aliud, quàm blaſphemare eos cogit, aut quaſi Deum irridere? Spontè enim, vltro, & voluntariè Deus colendus eſt. Quod niſi fiat, irriſio eſt Dei, & illuſio: non cultus Deo gratus. Iam quanta carnificina eſt piarum mentium, cùm quid agere coguntur contra conſcientiam? Certè vera inuocatio eis excutitur, metu numinis in ipſis hærente: qui refugere magis, quàm inuocare Deum ſuadet. Exemplum huius rei præbet Adam primus parens noſter, qui ad vocem Dei ipſum vocantis fugit; nimirum accuſante ipſum conſcientia ſua, morſu peccati ſauciata. Quid autem triſtius, quid miſerabilius, quàm, cùm impeditur vera Dei inuocatio? Deo igitur, ac iudicio ipſius relinquendi ſunt, qui diuerſam à noſtra ſequuntur religionem, potiùs quàm pœnis, & iniuriis vlciſcendi, aut rationibus minimè legitimis ad noſtram ſententiam adducendi. De quorum quidem ſalute & vita æterna quid ſperādum ſit, non auſim

pronun

pronunciare quicquam. Sed quid alii sentire videantur, puto mihi dicendum esse. Scripsit Gregorius Nazanzenus inuectiuas in Iulianũ Imperatorem. In quarum prima laudes Constantii singulariter celebrat; vt pote qui nulli rei plus studuerit, quàm, vt populus per ipsum, & ipse per populum apud Deum, & apud homines laudem consequeretur: constansq; & perpetua pax constaret Reip. & potestas. Neque verò dubium, quin, quod tradunt historici, Constantio maximè probata fuerit secta Ariana. quod ne ipse quidem inficiatur Nazanzenus. Sed tamen eius rei culpam in purpuratos illius confert: qui animum illius simplicem à recta fide abduxerint. Tantùm autem abest, vt de salute illius æterna dubitarit Nazanzenus, vt, cùm funus illius duceretur, auditas esse diceret voces ex locis superioribus psallentium angelorum, quasi gratulantium illi aduentum ex regno terreno in regnum cœleste. Iam quid de aliis alterius religionis, modò Christianæ, hominibus dicturus esset Nazanzenus, non'ne ex vno Constantio satis intelligi potest? Qui quidem Constantius Constantini illius Magni filius, etsi, vt diximus, Arianæ sectæ addictus fuerat.: tamen nec à patre exhæredatus est: & cùm * maiores natu filii, senior, qui Constans erat, veteris Romæ, medius qui Constantinus, nouæ *; Constantius, qui tertius erat, Antiochiæ regnum, patre iubente obtinuit. Qua igitur fronte audent beneficiarii quidam populos suæ fidei commissos pellere sedibus suis: non illos quidem aut atheos, aut in officio

* Vel memoriâ lapsus, vel alicuius minimè probati scriptoris fidem secutus, perperam & filiorum Constantini Magni ætates, & regna illis à patre distributa hoc loco ãnotauit Fricius.

* Subaudi, regnum, patre iubente, obtinuisset.

* Tantùm *Potiùs dicendum videbatur.*

suo ceſſantes: ſed * tamen in quibuſdam dogmatis ab ipſis diſcrepantes. quibus tamen * illis, nec fundamenta ſanctæ fidei euertantur: nec in vllum eius articulum peccetur. Palàm quidem oſtendunt iſti, quid cum aliis omnibus ob fidem diuerſam facturi eſſent, ſi quidem illi ditionis ſuæ forent. Sed hæc aliàs. Quò magis laudanda eſt moderatio animi Regis noſtri, & æquitas; qui, fidem catholicam amplectens, nihil negotii exhibeat quamlibet aliam profitentibus. Neque obſcurè ſignificat, magis ſibi placere rationes legitimas ad rectam viam vnumquenque reuocandi, quàm violentas, quæ fiant per enſes, ignes, exilia, bonorum multationes, & id genus alia. Quòd ſi quis ſummo iure agendum putet, ac eos, qui hæreſeos inſimulentur, ex Rep. ac cœtibus hominum exterminandos contendat: is videat, an non maxima pars hominum hanc pœnam ſubire debeat ob eam hæreſim, qua cædes hominum pecunia à noſtratibus perſoluuntur. Lex eſt à ſummo Deo poſt diluuium illud, quo animantia omnia, pauciſsimis exceptis, ad internecionem extincta ſunt, hominibus ſuperſtitibus ad propagationem humani generis relictis, poſita his

Videtur abūdare.

Gen. 9. „ verbis: QVI effuderit ſanguinem hominis, huius ſan-
„ guis effunditor. quoniam ad imaginem Dei factus eſt
Num. 35. „ homo. Et alio in loco eadem lex ſic fuſiùs repetita eſt:
„ Ne terram polluitote, quam incolitis, quam & ego in-
„ colo. Sanguinis effuſione maculatur terra. nec poteſt
„ ſanguis in ea fuſus, niſi ſanguine eius, qui fudit, expia-
„ ri. In pecuniam autem pro cæde hominis ſic idem Deus edixit.

us edixit. Ne ab homicida pecuniam ob vitam accipi- « *Ibidem.*
tote, qui crimen capitale admiserit. sed morte plecti- «
tor. Clara sunt verba Dei, vitam homicidæ pecuniâ re- «
dimi vetantis: sanguinem autem eius fundi iubẽtis. An
non igitur tenentur hæreseos, qui, legem Dei cum ma-
gno contemptu repudiando, parcunt homicidis, pecu-
niam ab eis accipiendo: sanguinem autem eorum ab
effusione vindicando? Nisi non est hæresis contra eius
legem, in cuius verba, & religionem * iurasses, cuiq; & * *Pro* iura-
animam, & corpus, & quicquid omnino habes, debeas, *ueris.*
legem contrariam statuere. Atqui longè magis crimen
esse videtur istorum, qui imaginem Dei seu per fastum,
seu ob aliam causam tam contemptim habeant, quàm
eorum, qui, vel per errorem, vel quamuis aliam infirmi
tatem, à placitis Romanis discesserint. vt priùs in exi-
lium ire debere videri possint legis impiæ in Dei con-
temptum latæ suasores, & propugnatores, quàm isti,
qui, rationib. certis adducti, se ab ecclesia Romana se-
pararunt. Quòd si illi putant, ignosci sibi debere in re
vetusta & vetustate corroborata: an non miserandi e-
tiam videbuntur & isti, qui inter tot tantosq; errorum
scopulos nauigantes in aliquem illorum impingant?
Quid igitur in tot tantisque circa religionem dissen-
sionibus viro politico, & principi Reip. est faciendum?
Mihi verò, si fas est tanta de re dare consilium, satis vi-
debitur Princeps functus officio, si curauerit, ne quis,
prætextu religionis, causas perturbandæ Reipub. neue
latebras flagitiis quærat: sed, vt quisque ciuilibus in of-

ficiis obedienter faciat omnia: neque desit vlla in re pa
ci communi. Cætera Deo committenda esse existimo.
qui quærentibus regnum ipsius prope adest: quemad-
modum vates loquitur; sed addita tamen conditione
» hac· quærentibus eum in veritate. quæ quidem veritas
pœnitentia, & fide cernitur maximè. Sed hæc sunt alte-
rius loci. Est igitur viri principis in hisce contention-
bus, quæ pasim ingraueſcunt, pacem inter partes edi-
cere: ac ecclesiæ in vnitatem restituendæ, quemadmo-
dum in secunda sylua diſſeruimus, operam dare. Erant
in Germania ante bellum illud intestinum, nostra me-
moria gestum, calumnię & obtrectationes, inter partes
religionum diuersarum, non ferendæ: partim maleuo-
lentia, partim leuitate hominum excitatæ. Quæ cùm
causas afferrent rixarum, & altercationum: pòst etiam
inimicitiarum, & hostilitatis: eruperant tandem in bel-
lum illud, quo capti erant duces belli præcipui à Caro-
lo Cæsare. Cùmq; captis etiam illis, finis nullus appa-
reret quietis, & tranquillitatis: quin immo bellum ad-
uersus ipsum Cæsarem excitatum esset ab illis ipsis du-
cibus, quos coniunctos habuit aduersus captiuos illos:
operam dedit Rex Ferdinandus cum Principib. Ger-
manis, & annixus est, vt tandem inducię inter partes
sancirentur: paxque certis conditionibus constitueretur, & firmaretur; nominatim autem caueretur, vt ne
quis contra conscientiam ac voluntatem vllis rationi-
bus de sua religione & fide deturbaretur, deiiceretur,
propelleretur: aut eius occasione grauaretur, reprehen
deretur,

deretur, bello ue impeteretur? Quinimmo quisq; * sua religione fideque tranquillè viueret: ac res suas ageret; imperii Romani iuribus, ordinationibus, iurisdictionibus, decretis, edictis, dominiis, bonis, sessionibus pro dignitate & ordine suo, tam in Senatu, quàm vbique, censibus, fructibus, reditibus frueretur vtereturq;, sub pœnis in hac ipsa sanctione comprehensis. De iurisiurandi formula ita actum est, vt, quod antea obtestatione Dei, ac diuorum fieret, ac deinde cuiusque arbitrio permissum esset, vt ad Dei nomen vel diuos, vel sanctum euangelium adderet: in vnam tandem formulam redactum sit: ac, vt quisq; per Deum, & sanctum euangelium iuraret, cautum & decretum. Hæc à me breuiter, in transactione autem Patauiensi copiosè descripta sunt: & postea in comitiis Augustanis binis repetita, & confirmata: à me autem ideo commemorata, quòd digna esse videantur, quæ principes Rerumpublicarum imitentur: considerantes, pacem aliter & tranquillitatem inter partes retineri non posse, nisi quisque vtatur iure suo: nec ob religionis causam impediatur, quominus agere possit, quæ sint ordinis sui, atque loci. Galli quidem, huiusmodi pacificatione prætermissa, quid non agunt turbulenter, & ferro? Quasi verò armis decertando potiùs, quàm placidis colloquiis disceptando, religionis controuersiæ dirimendæ sint. Et hęc quidem de officio virorum principum. Aliorum autem interest conatum Principis, quantum quisque possit, adiuuare. Sed non omnia possumus omnes. Theologorum

* *Videtur desiderari in.*

Anno Christi
1552.
1555.
1559.

gorum est igitur asserere & defendere doctrinam cœlestem: easque contentiones explicare, quæ turbant & euertunt vnitatem Ecclesiæ. aliorum, qui Christiano nomine gaudent, piis precibus æterno patri suam ecclesiam commendare: vt ille, sedatis furentibus istis ventis, qui hanc tanquam nauiculam vndiq; quatiunt, collocet eam in statione tuta ad suam gloriam, * populorum salutem sibi credentium.

* Desideratur &.

CAPVT IV.

Quod officium Theologorum.

Sed de Theologis plura nobis dicenda sunt. Solent enim permulti dicere, hæreses omnes veteres esse, & semel confutatas non indigere nouis confutationibus. Vtinam verò hoc dicto obturare possimus os nouatoribus omnibus. Sed longè aliud experta sunt secula nostra. Et certè haud video, quamobrem, repetito aliquo errore, confutatio illius, quantum vis vetusta, repetenda non sit. Nisi fortè, hoste semel debellato, non est bellum iterandum, si ille contra nos arma sumat, quibus contra nos antea vtebatur. Gessit Mithridates Rex Ponti cum Romanis bella quàm plurima. atq; ita gessit, vt & vinceretur, & fugeret, & regno patrio atque auito spoliaretur. Verumtamen, toties victus, bellum instaurare non dubitauit. An verò illi bella capessenti & in acie stanti Romani non repugnabant armis? Immo & repugnabant, & quoties victus erat, toties de illo triumphabant. honestissimum illum triumphum ducentes de hoste, qui in illorum perniciem incumbebat.

Nostra

Noſtra natio quoties bella geſsit cum Scythis hoſtib. noſtri nominis perpetuis? Quoties illos vicit & in fugam conuertit? Verùm Scythæ toties victi & fugati, tanquam muſcæ, aduolant, & bella integrant. An non in eos ſumenda eſſent arma, propterea quòd victi ſunt ſæpiſsime? Minimè hoc Reipub. conduceret. nec vlla via eſſet magis præceps ad interitum. Quid igitur contra eos faciendum ſit, qui hæreſes, quantumuis vetuſtas, & confutatas, renouent, quis non videt? Quæ quidem hæreſes aut ſatis & rectè olim confutatæ ſunt, aut minùs. Si ſatis: iterentur confutationes, vt hæreticorum vanitas & peruerſitas appareat. Sin minùs: quęrendæ igitur confutationes ſunt validiores, & in apertum proferendæ; vt tandem Eccleſiæ pax redeat, & confirmetur. Celebratur à Luca Beroœenſium nomen, quos nobiliores Theſſalonicenſibus vocat, propterea quòd Paulum & Silam, audientes doctrinam eorum, ſumma cum auiditate admiſerint: ſed ita quidem, vt quotidie ſcrutarentur ſcripturas, an ea ſic ſe haberent. Vtinam verò omnes, qui poſſunt, exemplum Beroœenſium imitentur. Res, quæ nobis bene conſtitutæ videbantur, commotæ ſunt. Nemini igitur licet ſecuro eſſe & oſcitanti. nemini in vtramque aurem dormiendum eſt. Et ſanctæ ſcripturæ examinandæ ſunt, & ſcripta probatorum interpretum adhibenda; vt illæ primas in huiuſmodi controuerſiis teneant. hi ſint tanquam arbitri honorarii. Hoc enim modo hæreſibus extirpatis, & veluti fibris earum euulſis, ſpes nulla erit reliqua, vt deinceps

Act. 17.

renascantur. Verumtamen, vt nautæ ad cynosuram cursum instituunt suum: ita nos ad sanctas scripturas præcipuè omnia dirigere oporret; vt in ecclesia loquamur eloquia Dei iuxta Petri verbum: non quæ animus cuiuslibet, comminiscendo, excogitauit. Multis viris doctis videtur, non posse demonstrari vnitatem essentiæ trium, nisi sola ratiocinatione. Hoc igitur acriter videndum, an talis ratiocinatio sit eius generis, in qua animum Christiani hominis, in re præsertim tam magna & præcipua, acquiescere oporteat. Sin minùs: aut fortiora argumenta quærenda, aut & hæc omittenda, quibus non tam confirmatur fides, quàm suspecta redditur. Quot sunt veterum, & recentium scriptorum, qui, confirmanda essentiæ vnitate, non dubitant illa verba citare· Ego, & pater vnum sumus. Et illa. Hi tres vnum sunt. Et, nisi me fallit memoria, hæc verba citantur à Patribus Nicænis. Quòd si in sacris literis VNVM de illis diceretur, quæ sunt vnius substantiæ, firmum esset eiusmodi argumentum. Nunc, cum constet, sæpe ea vnum appellari, quæ vel consentiant testimonio dando, vel mutuam beneuolentiam retineant: certè interpretatio illa de vnitate essentiæ, ad confirmandam opinionem ita sentientium, valet: ad retundendam contrarium sentientium pertinaciam, minimè. Sed & hoc accurata consideratione cognoscendum est, an hoc Homousion, quod in ecclesiis vulgò iactatur, sit eiusmodi, vt necessitatem imponat ecclesiis fidelium credendi, vnum esse deum trium personarum. Abeant in præsentia opi-

1. Pet. 4.

Ioan. 10.

1. Ioan. 5.

niones

niones præiudicatæ. faceſſant authoritates humanæ omnes. Sola diuina locum teneat, quem tenere debet: hoc eſt ſummum & omni exceptione maiorem. Primùm hoc Homouſion dicitur ante Nicęnam ſynodum à priſcis doctoribus, epiſcopis, & ſcriptoribus vſurpatum eſſe. quamobrem autem,& qua ratione, non dicitur. A Nicæna ſynodo receptum ſine ratione magna, ſine authoritate graui: tantùm concordiæ in eccleſiis retinendæ cauſa, & veterum doctorum, qui illlud in vſu habuerũt, reſpectu. Et,quod quidem valde mirum eſt, eius mentio in ipſa formula fidei,à primo omnino prætermiſſa fuerat:ſed poſtea,fortaſſe monitu quorundam, appoſita. Mox, cùm ad interpretationem eius ventum eſt, non vnitas eſſentiæ, ſed ſimilitudo filii cum patre, diſſimilitudo autem cum creaturis indicatur. Et id quidem in ipſa ſynodo Nicæna factum eſt, Conſtantino præeunte,patribus ſubſequentibus. Verùm,cum interpretatio eiuſmodi non reſponderet voci, de qua dicimus, reiecta eſt vox à ſynodis ſequentibus: interpretatio retenta, filium patri ſimilem indicans. De qua ſimilitudine cùm diſputaretur, alii eam ad voluntatem, alii ad eſſentiam referebant. Quod cùm parum opinioni in vulgus receptæ accommodatum eſſet, ratiocinationes à Theologis adhibitæ ſunt: quibus oſtendere ſunt conati,ſimilitudinem in diuinis, æqualitatem'ue, reperiri non poſſe ſine vnitate eſſentiæ. Et hæc quidem ex hiſtoriis rerum eccleſiaſticarum à tempore Nicænæ ſynodi ad vſque tempus * concilii Conſtantino-

* Intellige, ex præcedentibus, ſub Conſtantio Imp. coacti.

ſtantinopolitani'. Intra quod, tempus tanta iactatio, quaſi in mari fluctuoſo & turbulento, Homouſii fuerat, vt epiſcopi temporum illorum cum ſuis eccleſiis veſtigium nullum habuiſse viderentur, in quo fides religionis ſuæ firmè conſiſtere poſſet. Vtinam verò in Patribus maior fuiſſet attentio in definiendo de tanto fidei myſterio: & in poſteris ſagacior cura in cognoſcendis iis, quæ à maioribus quaſi per manus accepiſſent. Verùm, cùm & Patres parum attenti fuiſſent (Timidè hæc dicuntur à me propter præiudicia contraria. ſed tamen dicenda ſunt; nam & Socrates ſcriptor harum rerum non tacuit) Ex negligentia, inquam, Patrum, & poſterorum oſcitantia ortæ ſunt turbæ iſtæ perniciosarum rixarum: & controuerſiæ inexplicabilium quæſtionum, vel potiùs Labyrinthorum, vt Socrates inquit. Qui diſceſſerunt à veteri ſententia, non tantùm, pugnant cum aduerſariis: ſed & ipſi inter ſe digladiantur: & ſeſe mutuò ſuis gladiis concidunt. Ita fit, vt dentes filiorum, iuxta prouerbiũ, obſtupeſcant ob vuuam, quam comederunt patres. Quid igitur nobis faciendum? Quid, niſi ad verbum Dei tanquam ad ſacram anchoram recurrendum? vt illud ſit lucerna pedibus noſtris apparens in obſcuro loco, & lumen greſsibus noſtris.

Finis deſideratur cũris multiplicibus & aduerſa valetudine authoris, etiam temporibus ipſis ita ferentibus.

ADMONI-

ADMONITIO AD LECTOREM.

CVM sequentem quæstionem theologicam, statim post finem proximè præcedentis atque vltimæ sylvæ vnà cum censura sua scriptam in ipso Fricij autographo inuenerimus, eam hoc loco similiter addendam censuimus; præsertim, cum & argumentum eius huic Sylvarum operi respondeat, & nihil dubitari possit, quin præter Theologi responsionem, quæ hîc impugnatur, ab eodem auctore scriptum hoc profectum fuerit. Præter quàm enim quòd & initium ipsius quæstionis, & Censura tota manu ipsius scripta erat, atque eadem manu quædam in medio scripto expuncta, & correcta: stilus etiam ipse, & sermonis character, ac disputandi ratio, Fricij esse opus planè ostendit.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

Quomodo vnio diuinæ, & humanæ naturæ Christi facta sit in persona, non in natura; cũ tamen eædem prorsus res sint natura, & persona in Domino deo nostro.

RESPONSIO THEOLOGI.

Etsi in Deo, ex parte rei, nulla sit distinctio personæ à natura: est tamen in re ipsa fundamentum aliquod: vnde mens nostra aliquam eliciat distinctionem. In Deo enim est vna simplicissima res, vnius in se simplicissimæ eminentissimæ, atq; adeò excelsæ rationis formalis, vt, licèt in se vna res sit, & maximè vna formaliter: tamen & propria deitatis habeat, & propria personalitatis, & propria substantiæ, & propria relationis. Ac proinde virtute dicitur continere eiusmodi rerum distinctionem; non perinde ac si in potentia sit; sed quòd, cum non sit ibi realis distinctio absoluti à respectiuo: hæc tamen ita ibi insunt, ac si essent distincta (sunt enim realiter, & formaliter, licèt eorum distinctio sit tantùm virtualiter) cùmque res illa vna diuina, nec planè absoluta sit, nec planè respectiua, nec mixta, aut composita,

vel ex vtraque coagmentata, sed eminentissimè, & formaliter, habens quod est respectiui, & quod est absoluti: ita exercet propria vtriusque, ac si essent distincta.

Quo ex fundamento, iam tandem, pro capacitate mentis humanæ, quadantenus adumbrare possumus, quonam pacto verbum carò factum sit. Etsi enim in Deo natura, ac persona vnum & idem sint: alia tamen est ratio naturæ, alia item ratio personæ; atque huius discriminis origo, & fundamentum in re ipsa existit. Etenim vim, atque notionem naturæ semper sibi natura vendicat; quemadmodum & persona propriam gerit rationem cohærentis subsistentisue in natura. Naturæ enim proprium munus non est, subsistere in natura, quin etiam illi id vehementer repugnat. illudq; maximè ad eius statum, conditionemq; pertinet, vt in persona subsistat; à qua veluti contrahitur illius indifferentia, & communicabilitas. Ad personam illud demũ, ceu propria affectio, pertinet, vt subsistat quidem, verùm non in alia persona (hoc enim contradictionem implicat) sed in aliqua natura. Et quoniam incarnatio verbi Dei hoc propriè significat, Verbum, quod ab æterno in natura diuina subsistit, in natura quoque humana, quam in temporis plenitudine assumpsit, ineffabiliter subsistere, ipsamque, sine propria personalitate, vicissim in verbo sustentari: hinc vnio facta est in persona, non item in natura: hinc persona est incarnata, non item natura: hinc realiter aliquid adiunctum est personæ in assumpta natura subsistenti, quod non accessit

cessit naturæ diuinæ. quia scilicet manente, sine omni confusione, distinctione naturarum, verbum diuinum, quod ab æterno subsistit in natura diuina, temporaliter etiam subsistit in humanitate Christi.

OBIECTIO ADVERSARII.

Cum Deus sit summè simplex, nec in eo sit vlla distinctio reipsa inter naturam, & personam: quomodo mens nostra in eo fundamentum aliquod reperiat, vnde elicere distinctionem aliquam possit? Omnino rationem nostram, & mentis conceptum, si verus esse debeat, conformem rebus ipsis esse oportet. sin minùs sit conformis, falsum esse necesse est. Quemadmodum & de oratione, qua exprimuntur conceptus mentis nostræ, ab Aristotele præclarè dictum est, Ex eo, quod res est, vel non est, orationem veram, falsam'ue esse solere.

Author scripti fundamentum huius distinctionis ponit, propria deitatis, propria personalitatis, propria substantiæ, propria relationis; ac in eis virtute distinctionem ait contineri. Primùm mirum est, cur propria deitatis à propriis substantiæ seiungit: cur item personalitatis propria à relationis propriis segregat: Etenim, cum in prima periodo, duorum tantùm meminit, quæ sint in Deo, naturæ, & personæ: satis erat dixisse de propriis horum duorum; nec ponenda erat pluralitas sine necessitate. Deinde, cur horum duorum distinctionem statuat virtualem, non intelligo. Certè naturæ proprium est esse communicabilem pluribus: personæ, & relationis eam constituentis, esse incommunicabilem.

cabilem. Cùm igitur natura actu communicetur pluribus, persona actu non communicetur: certè distinctio inter ea actualis sit oportet, non virtualis. Nam quod virtute est, actu non est. Vt vinũ virtute calidum est, actu frigidum est. nam refrigerat intestina. Et certè propria illa, secluso omni opere intellectus, distincta esse videntur. Nam deitas reipsa multis personis communicatur. quod de paternitate, filiatione, spiratione passiua, minimè dici potest. Hæc enim ita propria sunt suis personis, vt aliis competere nequeant.

Sed author virtualem distinctionem eam interpretatur, non quæ sit in potentia, sed quæ excludat distinctionem realem absoluti à respectiuo; quæ ita insint in Deo, ac si essent distincta. sunt enim realiter, & formaliter; licèt eorum distinctio sit tantùm virtualiter. Hæc ille. In quibus constantiam requiro orationis. Quid enim hoc? Primùm dicit propria; de quibus dicimus, ita in Deo esse, ac si essent distincta. Deinde altero versu dicit, Virtualiter distincta esse. An, quæ virtualiter distinguuntur, ea quasi distinguuntur? Deinde, an ex quasi distinctione aliquorum existere possit tanta illorum discrepantia, vt alterum incarnetur, alterum non?

Pergit author ita. Cùm res illa vna diuina, nec planè absoluta sit, nec planè respectiua, nec mixta, nec composita, nec coagmentata, sed eminentissimè, & formaliter habeat, quod est absoluti, & quod est respectiui: ita tamen exercet propria vtriusque, ac si essent distincta. Videtur mihi author parum considerate loqui.

Nam

Nam si res illa habeat aliquid absoluti,& aliquid respectiui: non certè propriè videtur dici nec planè esse absoluta,nec planè respectiua:sed potiùs partim absoluta, partim respectiua; præsertim cùm exerceat propria vtriusque. Quod exercet proprium caloris, an non planè est calidum ? Loquor de exercitio ipso, quod actu ipso fit,non potentia.Et quomodo Deus,exercens partim proprium absoluti, partim proprium respectiui, non erit partim res absoluta,partim respectiua ? Quod vbi est, an ibi vel compositio nulla est, vel mixtio, vel coagmentatio?Ita hæc oratio eiusmodi est,vt eius pars vna destruat aliam. Satius est de tantis rebus tacere, quàm loqui sine ratione.

Multis tandem verbis author explicat sententiam Ioannis illam· Verbum caro factum est. Et si, inquit,in « Deo natura, & persona vnum & idem sunt : alia tamen « est ratio naturæ, alia personæ. Personæ enim subsistere « conuenit, naturæ minimè. Mox addit, Maximè ad sta- « tum & conditionem naturæ pertinere, vt in persona « subsistat; à qua veluti contrahitur illius indifferentia,& « communicabilitas. Deinde subdit,illud,ceu propriam « affectionem, ad personam pertinere, vt subsistat in ali- « qua natura. Non'ne author his verbis, quibus vtrique, « tam naturæ, quàm personæ, in altero subsistentia tribuitur,euertit differentiam illam inter vtrumque,quæ posita est in subsistendo,& non subsistendo ? Quod verò addit, à persona contrahi indifferentiam naturæ & communicabilitatem,omnino longissimè à vero dista-

re videtur. In rebus quidem creatis naturæ generales contrahuntur per differentias ad certas ſpecies: ſpecies item per hæcceitates ad indiuidua. Verbi gratia, Homo per Petreitatem, ad eſſe Petri: per Ioanneitatem, ad eſſe Ioannis. Hæc autem contractio incommunicationem naturæ contractæ ſecum affert. Nam alius eſt homo Petrus, alius Ioannes. alius, inquam, numero, licèt ſpecie tenus vnus ſit. At in diuinis nequaquam deitas ita contrahitur per paternitatem, vt non eadem illa numero ſit in filio, & ſpiritu ſancto. niſi quis vult plures Deos & non vnum ſtatuere. Tandem differentiam naturæ, & perſonę, quæ à principio poſita eſt, in ſubſiſtendo, & non ſubſiſtendo latiùs proſequitur his verbis, Et » quoniam incarnatio verbi Dei hoc propriè ſignificat, » verbum, quod ab æterno in natura diuina ſubſiſtit, in » natura quoque humana, quam in temporis plenitudine aſſumpſit, ineffabiliter ſubſiſtere: ipſamque ſine propria perſonalitate viciſsim in verbo ſuſtentari: Hinc v- » nio facta eſt in perſona, non item in natura: hinc perſo- » na eſt incarnata, non item natura: hinc realiter aliquid » adiunctum eſt perſonæ in aſſumpta natura ſubſiſtenti, » quod non acceſsit naturæ diuinæ, quia ſcilicet, manen- » te, ſine omni confuſione, diſtinctione naturarum, ver- » bum diuinum, quod ab æterno ſubſiſtit in natura diui- » na, temporaliter etiam ſubſiſtit in humanitate Chriſti. Hæc ille. Videtur author in hoc toto ſcripto laborare, vt ſimplicitatem Dei ſummam aſſerat: & cum illa ſtare oſtendat, perſona incarnata, naturam minimè incarnari. Verùm,

ri. Verùm, quomodo id ſtabit ex ea diſtinctione, quæ reipſa non ſit, ſed quam mens cliciat noſtra: vel ex ea, quæ ſit ex rationibus diuerſæ conſiderationis noſtræ? Omiſsis circuitionibus, alterutrum horum neceſſe eſt, aut diſtingui naturam à perſona reipſa, aut vnum & idem vtrumque eſſe re ipſa. Tertium certè, quod dicendum ſit, non apparet. Si idem ſunt re, quomodo vno incarnato, alterum non incarnatur? Sin re diſtincta: non erit ſimplicitas in Deo omni carens compoſitione. niſi quis ſtatuit naturam, & perſonam in Deo, tanquam lapides in vno cumulo. Formalis verò diſtinctio, quæ ex rationis varia conſideratione proficiſcitur, quomodo id efficeret, vt, rebus ad hunc modum diſtinctis, conuenirent res maximè diſtinctæ? Primùm quidem incarnari, & non incarnari. Deinde, quæ hæc ſequuntur, pati, mori, reſurgere: &, non pati, non mori, non reſurgere? Hęc, qui poteſt, explicet. mihi ſunt inexplicabilia.

CENSVRA.

Expendenti mihi formulas iſtas à magiſtris theologiæ compoſitas, permirum videri ſolet, cur non potiùs in formulis ab apoſtolis, primis, ſecundum Chriſtum, religionis noſtræ fundatoribus, traditis conquieſcimus, quàm nouas iſtas & mirabiles conſectamur. Eſt in manibus, & oculis ſymbolum, quod vocant apoſtolicum, eiuſmodi verbis & ſententiis conſcriptum, vt ab omni ſana mente prædito intelligi poſsit. In eo ſymbolo cùm ſit ſimplex certæ & exploratæ veritatis profeſsio, euidens & diſerta: cur præ hac tortuoſas & obſcura varie-

tate implicatas excogitamus formulas, quæ in re fundamentum habeant nullum: sed vel in sermonis genere inusitato & mirè intricato, vel in sola intellectus consideratione consistunt? Quibus certè plus damni datur doctrinæ religionis, & pietati, quàm vtilitatis acquiratur demonstrationi, & explicationi rerum bonarum. Sumpta est hæc distinctio de natura, & persona ex scholis philosophorum: qui, naturas vniuersales differentiis contrahi, asserunt, ad personas certas constituendas. Verùm eiusmodi cõtractio, ad diuina haud scio an non possit accommodari: vbi eadem esse natura personarum omnium perhibetur: nec ita eam contrahi posse ad vnam, quin eadem sit in aliis. Quid simile in rebus creatis? In quibus vt personæ distinguuntur à se existentia, & multis proprietatibus, circumstantiisue: ita & naturas earum numero à se, & variis affectionibus separari cernimus. Redeundum est nobis ad simplicitatem professionis apostolicæ; in ea animo pacatissimo conquiescendum. Non in subtilitate verborum, nec intellectus varia consideratione pietas religiosa consistit. Simplicitatem exigit doctrinæ, fidei, morum, & vitæ totius. Ad hanc nisi redeamus, concordiam in Ecclesia piam & firmam sperare nunquam debemus.

FINIS.

Erratorum quorundam typographicorum, & ipsius autographi correctiones, & animaduersiones.

In præfatione ad Regem.

Pag. 7. ver. 22. *qui primus*

In præfatione altera.

Pag. 2. ver. 1. *ponderent*

In opere ipso,

Pag. 1. in marg. 1. *Ioan. 5.*

Pag. 12. ver. 28. *verbis, si*

18. 15. *Pater. Eph. 3.*

19. 20, & 23. *Iudææ.*

25. 26. *quod prius*

27. 23. *principum*

29. 1. *Creauit*

36. 18. Pro *Primogenitus* in autographo est *Primogenitum*

38. 11. *seu natura*

79. 7. *in Deum*

Numeri paginarum ab 80. vsque ad 89. bis sunt positi. Itaque posteriores hoc pacto 80. b. &c. notandi sunt.

83. 16. *Hucusque demonstratum est*

84. 19. *vocatur*

88. b. 1. *essentia.*

111. 24. *partem.* In ipso tamen autographo legitur *parte*

113. 22. *erit spiritus.* Abundat enim in ipso autographo *etiam*

123. 20. *& ignorantias.* Quanquam in ipso autographo deest *&*

191. 1. *conuenit*

202. 20. *factam*

209. 25. *suarum, antequam*

234. 25. Pro *dirigit*, quod est in autographo, videtur legendum, *refert*

236. 13. *concurrat.*

266. in titulo. Dele SYLVA QVARTA, & deinceps repone QVÆSTIO THEOLOGICA.

Fricii
Septuae

Modrlewsk